PROPUGNATIO VECTIGALIS AB ILL.MO ET EXC.MO DUCE OSSUNAE PROREGE...


Pietro Corsetto




ZIONALE
VITT. EMANUELE
13
1 C
29

PROPVGNATIO VECTIGALIS AB ILL.mo ET EXC.mo DVCE OSSVNAE PROREGE ASPORTANTIBVS SERICVM E CIVITATIS MESSANAE PORTV INDICTI

A DON PETRO CORSETTO REGIO CONSILIARIO, & Rationum Magistro V.I.D. suscepta.



PANHORMI.

Apud Io. Antonium de Franciscis Impressorem Cameralem. M.DC.XIII.

Superiorum permissu.







ILL.mo ET EXC.mo D.

DON PETRO GIRON DVCI OSSVNAE

COMITI VREGNAE MARCHIONI DE PEGNAFIEL

EQVITI AVRATI VELLERIS

PROREGE

LOCVMTENENTI ET CAPITANEO GENERALI

CATHOLICAE MAIESTATIS REGIS PHILIPPI III.

IN REGNO SICILIAE

DON PETRVS CORSETTVS


Felic. Prec.



AD te (Illustrissime, & Excellentissime Princeps) sese recipit dissertatiuncula mea, atque adeo tua: quippe tu iussisti, tu iuuisti, nec sine te aspirante hiscere valuissem: tenebricosa est, fateor; attamen a te lumen accipiet. Illam nomini tuo dicatam volo, cum suo quasi iure, augusto hoc nomine velit inscribi: est ete-

† 2 nim

nim iuris Maiestatis Propugnatio: ast ad quem iustius, quam ad te Regiæ Maiestatis acrem vndique vindicem, siue turbatus, siue pacatus fuerit Reip. status, sese conferat? nos hic experimur, in Belgico nouit hostis. Ad te profecto aduolat; at quorsum? nitorem vt à te mutuetur, ac tutelam contra aut liuorem, aut calumniam beneficium à te petit, & hoc ipso accipit vberi manu, quod frontem ipsius tui nominis præscriptione honestari sinis. Deus te nobis seruet, atque tribuat sub optimo te Principe optimam pacem, & tranquillitatem. Panhormi, quarto Kalendas Februarij, anno salutis M.DC.XIII.



IESVS MARIA

PROPVGNATIO VECTIGALIS INDICTI AB ILL.MO ET EXC.MO D. DVCE OSSVNAE PROREGE

ASPORTANTIBVS SERICVM E CIVITATIS MESSANAE PORTV

A DON PETRO CORSETTO REGIO Consiliario, & Rationum Magistro V. I. D. suscepta.



ROVINCIAM hanc, humeris profectò nostris imparem, subire nos tùm peculiare munus, quo in Regijs iuribus tuendis fungimur, tùm illustrissimi, & Excellentissimi Ducis iussio, persuasos habuere. Timemus apud diligentissimos Messores spicilegios fieri, cum alij vberiori calamo, eruditiori stylo, feliciorique euentu opus agressi fuerint; Speramus tamen munus, pensumq. absoluturos, mandatis si obtemperemus, atque hæc qualia sint excogitata, in obsequium Catholicę Maiestatis Regis Domini No-

ſtri Inuictiſsimi, in medium ſi proponamus. Vniuerſorum itaque, quæ dicemus, ſcopus erit, atque finis liquidò, quantum noſtræ vires valebunt, demonſtrare rectè, & ſecundum omnem Iuſtitiam Gabellam fuiſſe impoſitam, in nihilo refragantibus oppugnationibus Meſſanenſium, ſecundum omnem, inquimus, iuſtitiam, ſcilicet vniuerſalem, & perfectam, & particularem; Tum ſi conſideretur Rex Dominus Noſter vti Princeps in ſuo Regno Supremus nullis alligatus legibus, iuxtà *tex. in l. Princeps. ff. de legib.* Tum ſi habeatur vti legibus obnoxius inſtar cuiuslibet priuati hominis iuxtà tex. *in l. digna vox C. eod.* Sed antequàm vlterius progrediamur operæ pretium duximus rem omnem ab hoc principio exordiendam eſſe.

Anno 1562. in Comitijs generalibus (vocant parlamentum) conuocatis more patrio omnibus, qui Vniuerſitatem totius Regni conſtituunt, nimirum Prælatis, & Eccleſiaſticis perſonis, Baronibus, & Vniuerſitatibus Regij demanij, inter quas fuit, & Ciuitas Meſſanæ, hoc eſt, brachio Eccleſiaſtico, Militari, & Demaniali, fuit vnanimiter determinatum, atque decretum, vt binæ indicerentur Gabellæ, Vna ſcilicet tareni vnius pro vntia pretij pannorum ſerico, & lana contextorum, & pili, & mercium (vt aiunt) iuxtà formam impoſitionis tareni vocati noui impoſiti in Ciuitate Panhormi, exigendæ in omnibus Secretijs Ciuitatum, & Oppidorum Demanialium Regni ab omnibus, & quibuſcunque perſonis

nis, quomodocunque priuilegio munitis, de quibus oportuisset fieri expressa mentio, etiam in corpore iuris clauso. Altera tareni vnius super qualibet libra ſerici, quæ potuiſſet exigi, vel, vt dicunt, in Manganello, vel in extractione à locis, à quibus aſportari reputatum fuiſſet, ad maius commodum, & benefitium Suæ Catholicæ Maieſtatis, vtraque duratura per decennium.

In exequutionem iſtius Decreti emanatæ fuerunt literæ Secreto Ciuitatis Meſſanæ, vt deinceps pro computo Suæ Catholicæ Maieſtatis Gabellam prædictam exigeret: Sed Sindicus Ciuitatis prætendens dictas impoſitiones eſſe in præiuditium priuilegiorum dictæ Ciuitatis, vt in more poſitum eſt, propoſuit dictam Gabellam tendere contra priuilegia, & immunitates Ciuitatis, & compilato Elogio (vt ipſi aiunt) coram Iudicibus Curiæ Straticotialis, quos habent in hoc, vt delegatos Regis, fuit per eoſdem Iudices determinatum Gabellam tendere, & eſſe contra priuilegia, omniaq; ad priſtinum eſſe reuocanda; fuit poſtea facta reductio ad priſtinum, atque Secreto intimatũ, nè gabellam exigeret, immò exactam reſtitueret: his peractis Iurati Ciuitatis Meſſanæ per literas de eorum iuribus ſuam Catholicam Maieſtatem certiorem fecerunt, quæ compediariò hic referri poſſunt in his capitibus. Primo fecerunt principale fundamentum in priuilegijs, quorum vigore Ciues Meſſanenſes immunes, & exempti dicebantur àb omnibus gabellis, datijs, collectis, & im-

positionibus. Secundo insinuauerunt vtilius esse suę Catholicæ Maiestati immunem, & liberam relinquere Ciuitatem Messanæ, quàm gabellis eam grauare: nàm quantò liberius in illa Ciuitate remanebat commertium, tantò vberiores erant prouentus, & fructus secretię. Tertio non obstare clausulam adiectam in impositione gabellarum (nemine exempto) dixerunt quia Ciuitati Messanæ, stante priuilegio Regis Alphonsi, àb Vniuersitate Regni in suis immunitatibus præiuditium afferri non poterat. Quarto addiderunt non obstare fuisse vocatam in parlamento, & non accessisse, quia Contumaciam euitarunt, cum Ciuitati prima sedes non fuerit assignata, quæ debebatur iuxtà formam suorum priuilegiorum. Hæc est summa narratorum in literis missis suæ Catholicæ Maiestati: sed quia interim lapsi fuerunt quatuor menses à die declarationis factæ per Iudices Curię Straticotialis, gabellas tendere contra priuilegia, iuxtà formam priuilegij Regis Alphonsi, sua Catholica Maiestas respondit gabellam debere exigi, stantibus Iuribus Fisci, & lapsu quatuor mensium, de quibus in priuilegio supradicto. Istius Regij rescripti fuerunt emanatæ obseruatoriales litteræ sub visione Sacri Regij Consilj die 12. Octobris 1565.

Ciuitas tamen nec gradus sistit, sed die 13. eiusdem mensis Proregi preces porrigit prætendendo priuilegium Regis Alphonsi iam antiquatum, & in desuetudinem abijsse, atque ideò petijt consulendam

esse

esse suam Catholicam Maiestatem, & interim in exactione gabellarum supersedendum, fuit tamen decretum. *Stetur prouisis quoad exactionem gabellarum iuxta ordinem, & mandatum literarum suæ Catholicæ Maiestatis, quò verò ad prætensa merita habeant recursum ad suam Maiestatem*, ita dispositis rebus.

Anno 1575. parlamentum generale easdem gabellas ad aliud decennium prorogauit cum eisdem clausulis, & conditionibus vocata, & contumace iterum Ciuitate Messanæ, fueruntq. aliæ missæ litteræ Secreto dictæ Ciuitatis, vt gabellam exigeret, quas, iterum fuit dictum, tendere contra priuilegia, & exindè secuta fuit ad votum Ciuitatis declaratio, & facta ad pristinum reductio, immò nec his contenta in anno 1576. Sindicus Ciuitatis dixit contra priuilegia ordinem Suæ catholicæ Maiestatis, quo iubebatur ob lapsum quatuor mensium gabellam esse exigendam, non obstante illa declaratione, de quà suprà dictum est,& fuit, prout petebat Sindicus, determinatum à Iudicibus Curiæ Straticotialis, quibus tamen non obstantibus semper fuerunt exactæ gabellæ vsque ad annum, in quo fuit facta inter Regiam Curiam, & Ciuitatem conuentio, cuius vigore fuerunt abolitæ, & extinctæ gabellæ: in ea etenim hæc interuenerunt, ex parte Ciuitatis oblatio aureorum quingèntorum mille, & ex parte Suæ catholicæ Maiestatis abolitio supradictarum gabellarum, Insuper, & collatio duorum officiorum, concessio, quod Ciuitas potuisset imponere vectigal tareni

vnius

vnius super qualibet libra ferici asportanda à Portu Messanæ, & pro augmento, & benefitio dicti Vectigalis prohibuit Sua Catholica Maiestas extractionem ferici à Ciuitatibus Siracusarum, & Thermarum vsque ad Ciuitatem Messanæ, vt omne fericum extraheretur à Portu Messanæ; quod super dicta gabella potuisset fieri constitutio census ad summam dictorum aureorum quingentorum mille oblatorum; Insuper promisit Sua Catholica Maiestas non imponere in dicta Ciuitate gabellam, collectam, donatiuum pro quacunque causa etiam expressa in Capitulis Regni; Hæc omnia interuenerunt ex parte Suæ Catholicæ Maiestatis; scilicet, cessio duarum gabellarum, quæ ex causa istius conuentionis fuerunt extinctæ, concessio duorum officiorum, licentia, & facultas imponendi vectigal, prohibitio, nè alibi, quàm à Portu Messanæ fericum extraheretur, priuatio sui iuris regalis imponendi gabellas in Ciuitate Messanæ; ex parte ciuitatis oblatio tantùm scutorum quingentorum mille, non tamen illorum numeratio, & solutio: nàm licèt fuerint soluti scuta 500000. Regi Domino nostro, nihilominus non ex re ipsiusmet Ciuitatis sed ex Regis peruenerunt patrimonio, vt infrà ostendetur clarissimè.

Rebus sic stantibus, quia Regium Patrimonium, & Aerarium exaustum, & collapsum penitus videbatur: nam quicquid Regis erat in Regno non sufficiebat pro stipendio Militum, & sustentatione Regiarum Triremium, & salario Officialium, & penitus

desi-

deficiebant pecuniæ pro soluendis creditoribus censualibus Regiæ Curiæ, propterea vt sumptus ęquarentur prouentibus Regni, in Parlamento generali nouissimè habito decretum fuit donatiuum scutatorum 300000. in quo nec obulum contulit Ciuitas Messanæ, cum prætextu suorum priuilegiorum non teneri aliquid contribuere in publicis necessitatibus prætendat. At quia iustitia distributiua minimè patiebatur quod sola vna Ciuitas immunis remaneret in maximum damnum aliarum Regni, Illustrissimus & Excellentissimus Dux Ossunæ Prorex gabellam supradictam nomine suæ Catholicæ Maiestatis indixit super extractione serici, quàm Messanenses dixerunt coram Iudicibus Curiæ Straticotialis tendere contra eorum priuilegia, qui ad placitum determinauerunt esse contra priuilegia, durante termino prorogato per Illustrissimum, & Excellentissimum Proregem, & non admisso Procuratore Regij Fisci ad tuendum iura suæ Catholicæ Maiestatis, quæ nihilominus stat in sua possessione exactionis dictæ gabellæ.

In hoc vt quæ dicenda erunt, rectè disponantur, hanc methodum obseruandam esse arbitramur.

Primo considerabimus suam Catholicam Maiestatem vti Principem supremum, & alium non recognoscentem Superiorem in Regnis suis, prout est, iterum, & eamdem Maiestatem legibus obnoxiam habebimus vti legibus, pactis, & conuentionibus astrictam, in vtraque relatione fundabimus Iusti-

tiam

tiam, quam habet in impoſitione ſupradictæ Gabellæ.

Secundo conſiderabimus fundamenta, & rationes, quibus ſe tueri poteſt Ciuitas Meſſanæ circà exceptiones, quas habet aduerſus gabellam, quàm conſiderationem bipartitam facimus, nimirùm quatenus relationem habet ad priuilegia, & quatenus ſe refert ad conuentionem nouiſsimam.

Tertio, & vltimò reſponſiones concinnabimus, quibus apparere liquidò poſſe ſperamus in concuſſam, & illibatam permanſuram fore rectitudinem, & Iuſtitiam indicti Vectigalis.

Conſideramus inprimis ſuam Catholicam Maieſtatem legibus non alligatam, & rectè dicemus fuiſſe indictum Vectigal; At priuſquàm vlterius progrediamur, monitum quenquè vellemus, hic non eſſe nobis tractandum de differentia inter abſolutam & ordinariam Principis poteſtatem, non de duplici legis vi, nimirum coactiua, & directiua, diſtinctiones profectò, de quibus habent Doctores ad conciliationem *tex. in l. Princeps ff. de legib. & l. digna vox C. eod.* vt ſcilicet Princeps dicatur legibus non alligatus quoad abſolutam poteſtatem, & legibus obnoxius quoad ordinariam; quod Princeps vi coactiua ſit ſolutus legibus, vi tamen directiua, & ſecundum rationem aſtrictus legibus, nimirum ità debere eſſe Principem, vt pro eo lex poſita non videatur, & meritò legibus ſolutum, de viro iuſto dixit *Diu. Paul. ad Timoth. ei legem non eſſe ſancitam*, de quo dixerat *Diu. Am-*

gitationes

brof. super illud psalmi, Anima mea in manibus; Quicunq; proprium corpus subegerit, nec eius passionibus turbari animam suam, rector sui congrua viuacitate permiserit, is benè regia quadam potestate se cohibens Rex dicitur, quòd regere se nouerit, & arbiter sui iuris sit, nec captiuus feratur in culpam, nec præceps feratur in vitium, & Mag. Gregor. *lib. moral. super illud Iob. 3. de Regibus, & Consulibus Terra ait: Reges, qui sua corpora benè regere sciunt, qui desideria omni motu in se temperant, subiectas cogitationes lege virtutis regulant, Reges quia sibimet ipsis præsident, & se regere sciunt,* & Iamblicus in Epistola ad Agrippam aiebat *Lex est commune bonum, sine quo nihil bonum fieri potest, ceterùm oportet Principem legibus præfectum sincerè purgatum esse, summam legum rectitudinem, ac neque seductione, aut fraude falli per ignorantiam, nec vim inferentibus concedere, nec vlla occasione iniusta allici, nam seruatorem, & custodem legum tàm incorruptum oportet esse, quàm maximè fieri potest in humana natura,* de ijs loqui videtur *Arist. lib. 5. polit. cap. 9.* inquiens, *Excellentes virtute, & potentia non sunt legibus astringendi;* De hac differentia inter vim coactiuam, & directiuam legis, non habebimus, quemadmodum missas faciemus aliorum conciliationes, quòd scilicet Princeps ex condonatione populi fuerit legibus solutus, sed postmodum Theodosius, & Valerius Imperatores pronunciauerint, decere Maiestatem regnantis se reputari legibus astrictum, dicemus tantum inter principem vti supremum, & legibus non alligatum habitum, & eundem vti legibus astrictum vt in præsenti occasione, reperiri differentiam, quo ad ordinem, & modum regendi populos à Diuina Ma-

iestate sibi commissos, vt in primo modo assumptus, valeat potestate, ac facultate quadam suprema, retinaculis, & vinculis legum positiuarum scriptarum non præscripta, rempublicam administrare, vno verbo dicam, lege quadam, & ratione status, vt vulgò circumfertur, eam non inquam, quam politici transgresionem, & violationem iuris diuini, aut naturalis appellant, hanc etenim Principes Christiani, & Catholici abhorrere debent; sed pro status ratione, & lege accipiemus ius, & facultatem, authoritatemq; qua Princeps supremus debet, & potest, saluis diuinis, & naturalibus legibus, actiones proprias, adæquatis medijs, ad finem sibi propositum boni scilicet, & vniuersalis subiectorum dirigere. Secundum hanc iustitiam determinatam àb ista lege summa, quæ solis Principibus supremis competit, iustam fuisse impositionem gabellæ contendemus, his medijs, & argumentationibus.

Aristot. *lib. 5. Ethicor. in princ.* de speciebus iustitiæ verba faciens, multipliciter de iustitia ratioćinatus fuit, Egit primo de iustitia legali relata ad alios, quam dixit perfectam omnium virtutum quoddam aggregatum, quod in se morales studiosos habitus contineat vniuersos. Hæc iustitia respicit omne id, quod publicæ commoditati competit, dicitur legalis, quia quidquid lege statüitur, ac determinatur bonum commune totius humanæ Societatis coniectat, dicit Philosophus tamèn aliqualiter iustum legale reputari iustum, cum non in omni politia tale dignoscatur,

tur, nam cùm omnis vtilitas humana ad felicitatem ordinetur, & eadem semper non sit felicitas in Monarchica, Aristocratica, & Democratica gubernatione, propterea secundum hanc differentiam Princeps vti debet iustitia directiua, ad communem vtilitatem, & hominum societatis felicitatem, quam dicit perfectam Philosophus, quia ea vti moderator Reipublicæ potest, non solum ad seipsum, verùm etiam ad alterum, vtpotè in communicatione boni ad subditos, quà disponere poterit ea, quę ad bonum commune ordinantur, atque intendere valebit, quę vtilia sunt communitati hominum consociatę.

Hęc vniuersalis iustitia relata, in humana societate, partium armonicam proportionem conseruat, & ęqualitatem, quemadmodum absoluta dicitur, consociatio animę partium, qua debitum singulis partibus tribuitur, vt inferiores superioribus obtemperent, vndè in anima tranquillitas, & concordia oriatur, non secus in cantu armonia. Hac vniuersali iustitia Princeps agit, perficit, influit, & mouet ad bonum, cum in regimine, duo hæc præcipuè considerentur, finis, vt homines scilicet felices reddantur, & potestas, qua Princeps ad bonum curæ suæ commissos pertrahit.

Iuxtà hanc iustitiam, suam Catholicam Maiestatem vti Principem supremum non teneri ad obseruantiam priuilegiorum Messanæ, arbitramur, vt exindè sequatur, non ideò iniustam gabellam esse, quia priuilegijs sit contraria, de hoc primo loco agemus,

Secundò de alia iuſtitia particulari, quæ in commutatiuam, & diſtributiuam diſtinguitur, quæ ad Principem vti legibus obnoxium ſpectat, videbimus: his abſoluemus propoſitionem ſuprà poſitam, nimirùm ſecundum omnem iuſtitiam iuſtè impoſitam gabellam fuiſſe.

Priuilegiorum Meſſanæ Ciuitatis obſeruantia penitus eſt contra iuſtitiam vniuerſalem relatam, & politicam, quatenus obex dicitur, quin Princeps poſſit, cum ſalus publica expoſcit, ſubditos ad bonum dirigere, qua propter non eſſe faciendam vim, ex ea, aduerſus impoſitionem gabellæ, prætendendo eſſe iniuſtam, quia contra priuilegia, quatenus ordinatur ad bonum, oſtendemus, aſſumptum probabimus his medijs

Duo præcipuè parit priuilegiorum in omnibus, & indiſcriminatim obſeruantia, primum contemptum ſupremi Principis, alterum negationem obedientiæ eidem Principi debitam, deſtruit propterea duo fundamenta, quibus nititur imperium, & poteſtas Monarchiæ. Contemptus enim opponitur Maieſtati Principis, quæ verum, & vnicum Repagulum eſt quo Princeps à ſubditorum rebellionibus ſeruatur, quemadmodum è contrario is eſt totius gubernationis lues, & mors; Nam vires imperij fundamentum habent in obedientię conſenſu; de ea Maieſtate Principis hic habemus, per quam Princeps in animis hominum ſibi ſingularem quandam admirationem, & venerationem metu coniunctam conciliat, quæ Augusta

gusta authoritas, & celsitudo dicitur, vita, & anima Regni, qua fit, vt tot mortalium millibus vnus homo præsideat, & tanquam àb vno capite tot membra pendeant, singulare propterea nonnulli dicunt Dei donum, non autem de Maiestate loquimur, quæ pro potestate absoluta Principis, àb aliquibus vsurpatur.

Priuilegia Ciuitatis Messanæ Principis contemptum pariunt, cum Maiestatem eiusdem lædant, & subuertant, nàm quid aliud potest magis authoritatem, & Maiestatem Principis offendere, quàm iussionibus, & mandatis ipsius Principis à subditis non obediri, immò eiusdem, & armis posse resistere prętendentibus; mandat summus Princeps aliquid, quod ad bonam regiminis formam pertineat; Messanenses vigore suorum priuilegiorum contendunt, mandatum non esse exequendum, nec hic sistit eorum prætensio, sed simul tale mandatum iniustum declarare pergunt, nam idem est dicere, & determinare contra priuilegia, quod est affirmare esse contra iustitiam, nisi diceremus priuilegia esse iniqua, & iniusta, & mandatum iustum, quia contra iniustitiam, quod nobis sufficeret, alterum namquè istorum fatendum est necessariò; sed quid absurdius, & de directo contrà obedientiam debitam Principi excogitari potest, quàm quod permictere subditis iudicare de iustitia actionis regnantis, penitus euertit hoc Monarchiam.

Potestas namquè, qua dominatur Rex Dominus

nus noster, est Regnum plenum, & non laconicum, inter hæc duo Regna *Aristotil. lib. III. polit.* hanc constituit differentiam, vt in Regno pleno omnia arbitratu suo moderator gerat, in laconico secus, immò supremum obtineat iudicium actionum suarum, nempè Ephororum, Magistratus erat in spartanorum Republica, qui mandata Regis emendabat, & in totum si placuerat viribus vacuabat, ad viuum exprimit iurisdictionem prætensam à Messanensibus; At quia sua Catholica Maiestas Regno pleno, & Monarchico dominatur, quod Aristoteles inter rectas, & non deprauatas administrationes enumerat, ideò absurdum est dare, & concedere Messanensibus iudicium, siuè iurisdictionem declarandi mandata regia contra eorum priuilegia; qua propter ea non sunt obseruanda tanquam destructiua Monarchiæ, cum simul, & semel stare non posint Regnum plenum, & iudicium penès subditos actionum, & passionum regnantis. Priuilegia itaque huiusmodi Monarchiam tollunt, obedientiam, & reuerentiam negant, tributum, & subsidium debitum Principi detrahunt, sed quid aliud penes Principem? cum prætendant penitus Messanenses immunes esse, à quibuscunque muneribus, vectigalibus, & impositionibus: hæc si auferantur à subditis, nil aliud remanebit subiectionis signum, excluderetur prorsus dominium, remaneret tantùm in illa Ciuitate regia protectio, non iurisdictio, vt pluriès audiui Illustrissimum, & Excellentissimum Ducem Ossunæ dicentem Messanen-

ſanenſes velle ſuam Catholicam Maieſtatem in protectorem, hæc profectò innuunt eorum priuilegia.

Ex his infertur priuilegiorum obſeruantiam turbare tranquillitatem communis hominum Societatis; nam quæ pax, & tranquillitas in Republica, in qua à ſubditis denegantur obſequia debita regnanti, vt eſt obedientia, reuerentia, & tributum, conſtituta Principibus authoritate *Diui Pauli ad Roman.* 13. cuius verba ad rem noſtram adducit *Michael Salon. in diſputatione de tribut contr. vlt. art.* 2. *nu.* 7. certè nulla eſſe poteſt, omnia, neceſſe eſt, vt concuciantur, & confundantur. Tranquillitatem itaquè, & pacem excludunt priuilegia, quas introducit iuſtitia illa vniuerſalis, qua Princeps omnia ad commune bonum, & fælicitatem dirigit, & diſponit. In concurſu igitur iſtorum duorum iuſtitiæ nempè Vniuerſalis, & priuilegiorum, debent priuilegia iuſtitiæ deſeruire, quod, quando, & vbi expediat id fieri Princeps erit arbiter, & moderator, non Iudices, at quid dico Iudices? Populus Meſſanenſis. Mediante ergò iſta iuſtitia, quam in ſummo Principe inter iura Maieſtatis rectè annumeramus, poteſt ſua Catholica Maieſtas, quando ità expedire videbitur, poſtergatis priuilegijs ea omnia ordinare, atque mandare, quæ ad publicam ſalutem, facere videbuntur, nec huiuſmodi poteſtas cancellis, & retinaculis priuilegiorum debet vinculari, id maximè quia concedere non valeat Princeps, vt ſibi ſubditi non pareant, tùm quia id eſſet

contra

contra illam legem naturæ , vt parentibus, & patriç obediamus *l. veluti ff. de iust. & iur.* tum quia Respublica ipsa priusquàm regem haberet , non poterat statuere , vt sui ciues valerent sibi , aut suis Magistratibus non obedire, quoniam illud fuisset abdicare se à potestate, qua tamen,veluti lege naturç in sita exui nequit; at reges eamdem habent potestatem, quam respublica, antè ipsos habebat; Ergò idem est dicendum de illis, ità ait Nauarr. *in capit. nouit de iudic. not. 3. num.* 166. cum hoc dicere esset diminutam reddere Monarchiam, & profiteri Regem nostrum regno laconico, non autem pleno dominari, quod falsum omninò est. Insuper, & operantur priuilegia, vt Princeps careat fine scilicet introductionis fælicitatis politicæ in subditos, & potestate scilicet coactiua, eosdem ad finem prædictum perducendi: idipsum sæpius experientia comprobatum habemus, vt si, vel à sua Catholica Maiestate, vel àb eius aliquid mandatur Prorege, mandatur siuè ad compescendos homines improbos, siuè ad aliquod bonum publicum introducendum in illa Ciuitate, quàmuis iustissimum censeatur, & necessarium, tamèn non admictitur, nec exequutioni mandatur, solum quia verbis priuilegij aduersetur, præponitur obseruantia priuilegiorum publicæ, & communi vtilitati, & contra naturam ipsorummet priuilegiorum odium,& damnum afferunt ciuibus potiusquàm fauorem , & Lucrum.

Ex his ergò colligere possumus aliquandò licere

suæ

ſuæ Catholicæ Maieſtati priuilegia Ciuitatis Meſſanæ non obſeruare, putà quando illorum obſeruantia noceret publico bono, id aſſequi poterit Iuſtitia illa vniuerſali, qua poteſt Princeps ſupremus quæ vtilia ſunt Reipublicæ procurare, & introducere. Concludimus itaque non eſſe reſpuenda à ſua Catholica Maieſtate ordinata, quia contra priuilegia Ciuitatis apparent, nam ſi talia erunt, quæ bonum publicum reſpiciant, vtique admittenda, non obſtantibus priuilegijs: Hinc inferimus non ideò iniuſtum Vectigal, quia contra priuilegia, cum, vt inferius videbimus, illud fuerit indictum ad ſubleuandas publicas neceſsitates, quibus aliter ſuccurri non poterat, iuſtum fuit per ſe vectigal, quia habet illa tria requiſita, de quibus per Doctores, ſcilicet, authoritatem indicentis, cauſam, & formam. Eſt in Rege noſtro vti Principe ſupremo facultas, & authoritas imponendi vectigalia, & tributa, quæ ſoli Principi competit *l. omnes penſitare C. de ann. & tribut. libr. 10. l. 1. C. de ſuperindit. lib. 10. l. placet. C. de excuſat mun. lib. 10. cap. innouamus de cenſ. cap. ſi quis Romipetas 24. quaſt. 3. l. deprecatio ff. ad leg. Rhod. de iact.* & iura loquentia de Imperatore procedunt in Rege noſtro non recognoſcente ſuperiorem *Salicet. in l. vectigalia C. nou. vectig. Parlador. lib. 1. rer. quotidian. cap. 3 in princ. Ignat. laſart. in tract. de decima fol. c num. 1. & ſeq.* hic concurrunt illa duo requiſita, primo quod expediens ſit Reipublicæ indicere vectigal, & quod non habeat Princeps quod de ſuo poſsit prouidere *Afflict. in tit quæ ſint regalia in verb. extraordinaria, Roland. à*

Valle consi. 1. nu. 51, & num. 69. vol. 1. quod procedit tùm in ordinarijs, tùm in extraordinarijs muneribus *Petr. antib. de munerib. §. 4. num. 1. & seq.* cum hæc potestas sit maximi imperij *l. vectigalia, & ibi Salicet. in principio C. nou. vectigal & l. non solent gloss. & ibi Doct. col. fin C. eod. Bertachin de gabell. 1 par. num. 1 & seq. Iul. Ferreti de gabell. num.* 84 *Aegyd. Thomat. de Collect. nu. 37. fol. 139. vol. tract. 12. Petr Aragon in secunda secundæ diu. Thom. quæst. 62. art. 3. fol. 152. litera A. Leonard Less. de iust. & iur. lib 2. cap. 33. dub. 2. Michael Salon. de tribut, & vectigal. art. 3. controuer. 1. fol. 137. & D. Thom. in Epist. ad Ducissam Brabantiæ ait, pro laboribus, quos suscipiunt, & expensis, quas faciunt Principes in vtilitatem boni communis suorum Ciuium, iustè ab illis tributa exigi, adeò vt si tributa solita non sufficiant, aut sese offerant necessitates, quibus à Principe occurrendum sit, possint seruatis legibus Iustitiæ distributiuæ alias collectas, & tallias imponere.* Ad hoc enim tenentur subditi, ad leuandas scilicet communes necessitates, & prouidenda ea, sine quibus commune bonum obtineri, & permanere non potest, iure naturali, & Diuino contribuere, sua priuata bona, vel saltem partem aliquam eorum exhibere, sed quia commodior nulla est via ad colligendam pecuniam ex singulis, quàm per indictionem Vectigalis, ideò iure naturali, & diuino tenentur subditi illa persoluere: primum probatur, quia vnusquisque tenetur iure diuino, & humano exponere vitam pro bono publico, vbi recta ratio illud dictauerit, ideo tanto magis bona, vel illorum partem, alterum probat authoritate Diui Thomæ Michael Salon vbi supra

nu. 9.

num.9.hæc authoritas Regia residet in Prorege, qui personam suæ Catholicæ Maiestatis in hoc, & in cæteris representat, illiusq. potestate fungitur, potest Princeps vectigal indicere, & sine Consilio Procerum Parlad.lib. 1.quotid.rer.cap.3.in princ.num. 13. Ignat.Lasart.tract.de decima fol.6.nu.1.& seq.

Iustum est Vectigal ex causa, quia ad necessitatem publicam subleuandam indictum, cui aliter succurri minimè poterat, de necessitate ista iam liquet, & notoria extat, Aerarium iam est exhaustum, & collapsum, non est vnde stipendia militum exsoluantur, vndè Creditoribus censuum satisfiat, rationem assignant Doct. Sacri, quia sicut Principis est populum regere, ius dicere, hostes arcere, itemq. tranquillitatem, & felicitatem Ciuium totis viribus procurare; ita contribuere Ciues tenentur sumptus necessarios, & possunt à Principe cogi Caetan.in Verbo Vectigalia in Summa Syluestr. in verbo gabella cap.3.quæstio. 3. Angel.in verbo pedagium num. 2. Summ. Tabien.eod.verb.nu.3.Mich.Salon. de tribu. contr.4. art.3. fol. 144. Leonard. Lessius in secunda secundæ Diu. Thomæ libr. 2. cap. 33. dubit. 6.Petr. Arag.in secunda secundæ Diu.Thomę quæst.62.art. 3.tit.de restitut.fol.152.Causæ iustæ ad indicendum Vectigal enumerantur à Doctoribus, Gabriele scilicet in 4. dist. 15. quæstio. 5. art. 2. d. Anton. 2 par. titul. 9. capit. 13. Angelo in verb. pedagium Tabien. & Syluest. vbi supra, Armilla in verbo gabella, Medina de reb. restit. quæst. 15. Lopes

part.2.cap.39. quæstio. 5. Blas. Nauarr.de vectigal. cap.2.inter quas ad propositum enumeratur Dignitatis Regiæ conseruatio; etenim si Rex non habuerit Patrimonium sufficiens ad statum suum decenter sustinendum, potest tributa, & vectigalia imponere quantum prudentis arbitrio, ad necessitatem huiusmodi subleuandam requiritur; Secunda adducitur causa soluendi stipendia, quæ vel ministris Regni in gubernatione, vel militibus in communem Reipublicæ defensionem exhibenda sunt; quàm causam approbauit Diu.Paulus dicens neminem debere militare proprijs stipendijs: Et altera est causa, pro redimenda scilicet Republica àb aliquo debito, vel onere; Hæ tres causæ concurrunt in proposito casu, imò à fortiori procedunt argumento: Nam vectigal indictum ob istam necessitatem publicam, cum non sufficiat donatiuum factum per Regnum scutorum trecentorum mille, vt de se patet.

Adest, & Tertio iustitia istius vectigalis in summa, quæ consistit in proportione, quæ triplex esse debet: Prima in ordine ad necessitatem propter quam imponitur: sicut enim ratio mediorum sumenda est à fine, ità & vectigalis, quod instituitur ad leuandam necessitatem publicam: debet enim illud commensurari cum illa, probat hoc cap. quia plerique de immunit. Eccles. Secunda proportio est, vt non imponatur, nisi iuxtà Populi facultates, & vires; Tertia proportio, vt seruentur cum singulis leges iustitiæ distributiuæ. Habet nostrum vectigal

has

has omnes proportiones: nam primo non excedit necessitates, & vtinam sufficeret. Secundo habet aliam proportionem secundum subiectam materiam; quia non excedit octauam partem æstimationis rei, super qua imponitur iuxtà text. in l.ex præstatione C.de Vectig.& comm.Parlador libr. 1. rer. quotidian. cap. 3. in princip. nu. 17. Demùm obtinet aliam proportionem, quia omnibus indictum est sine aliqua personarum exceptione.

Vlterius iustum Vectigal est in materia, quia iure communi in his tantùm rebus constitui potest, quæ deferuntur, & euehuntur negotiationis causa, vt habetur in l.omnium C.de Vectigal.dicuntur autem deferri causa negotiationis quæcunq; deferuntur vt emantur, vel asportentur, vt iterum vendantur, & hoc fine contractantur Doct.in l. si publicanus ff. de publican. l. 2. §. cum in eamdem ff. ad leg. Rhod. de Iact.Zabarell.in Clem.fin.de Censib.ait,in solis mercibus, circa quas exercetur mercatura, habere locum Vectigalia; Erit itaque iustum Vectigal ex parte materiæ, cum indictum inueniatur super serico, quod causa negotiationis aliò asportatur.

Demùm iustum Vectigal in vsu, quidquid ex illo peruenit Regni necessitatibus supradictis applicatur, concurrunt itaque condittiones omnes ad reddendam Vectigalis impositionem iustam ex omnibus caussis, scilicet, efficiente, finali, formali, & materiali, de quibus habent præcitati Doctores.

Hæ-



Hæc quoad primam partem nostri sermonis; Deueniamus ad secundam, in qua referemus fundamenta, quibus Ciuitas Messanæ dicit Vectigal iniustum, & contra eius priuilegia.

Primo in hac controuersia tuetur se Ciuitas munimine priuilegiorum, quæ transcribit Bolognett. cons. 1. quod in gratiam Messanensium reddidit meritorum pro reuocatione gabellæ impositę per tria brachia Regni Anno 1562. Primo se offert priuilegium Appij Claudij Romani, in quo efficitur Messana Ciuitas caput Regni, atque conceditur, quod fungatur potestate Romana, quæ verba ait Bolognet. fecerunt eam Coloniam Ciuitatis Romanæ, & exemptam àb omnibus muneribus, à quibus eximebantur omnes aliæ Ciuitates Coloniæ, quæ tanquàm sociæ eiusdem Ciuitatis priuilegium obtinebant hoc àb vrbe condita anno 487. vt refert Bolognett. cons. 1. nu. 33.

Aliud producitur Priuilegium Iulij Flacci, & Caij Calphurnij Coss. in quibus habentur hæc verba, quod sint liberi, & exempti à pondere tributi cuiuslibet Vectigalis fixi, mobilisque, & quod gaudeant pretiosa libertate Anno àb Vrbe condita 602 secundum Bolognettum, sed iuxtà exemplar in scripturis Anno 620.

Vtrunque Priuilegium refertur àb Arcadio in alio priuilegio concesso anno 407. salutis confirmante supradicta duo priuilegia per hæc verba, exemptam, & liberam facimus, vt illam Romani fecerunt

cerunt àb omnibus angarijs, & perangarijs, taxis, dohanis, contributionibus, & vbicunque fuerint, & quod nulla vnquàm vexatione ſubſtantiali, vel perſonali grauetur, & quod exæquatur Conſtantinopoli.

Aliud priuilegium Rogerij Primi ſub anno 1121. concedentis immunitatem per hæc verba: proptereà Ciues, & habitatores prædictos liberos perpetuò facimus de omnibus, & ſingulis gabellis, dohanis, & alijs ſolutionibus quibuſcunque, tam de magnis rebus, quàm de paruis, ſtabilibus, & mobilibus, in terra, & in mari, tàm in Terris Regijs, quàm Ducalibus, Eccleſijs, Comitum, & Baronum, adiungimus etiam, quod nullo vnquàm tempore in eadem Ciuitate, & extrà per ſuas Villas, & rura, quæ ſunt à rupe. agrò, vſque ad Babuſium incluſiuè, talia, collecta, angaria, perangaria, ſcherma, gabella, mutuum, extorſio iaceatur, imponatur, colligatur, etiamſi Rex quacunque neceſsitate productus fuerit contra, vel ſecundum Regni ſtatuta collecta repeteret, aut cæteros cogeret pro re quacunque neceſſaria, liberi ſint, vt ſupra, & nullo vnquàm tempore gabella noua imponatur, nec impoſitio fiat quomodolibet in rebus quibuſcunque, nec mercibus.

Aliud Priuilegium Imperatoris Henrici VI. anni 1197. in quo conceditur, quod Meſſanenſes omnia ſua bona poſsint extrahere, & immittere per Portum ſine ſolutione aliqua per terram, vel per mare.

Aliud

Aliud priuilegium Iacobi Regis Anno 1296. mandantis,quod nè dum Ciues,& Incolæ, ſed etiam omnes exteri, quos per terram in eamdem Ciuitatem quæcunque bona, & merces immittere,ſeù portare contigerit, eadem extrahere liberè poſsint,nulla in poſterum imponenda talia, collecta, vel exactione, neq; impoſitam ſoluere compellantur.

Aliud priuilegium Federici Regis Tertij anno 1302. confirmantis immunitatem, libertatem, & exemptionem à quibuſcunque ſubuentionibus Regis, promiſsionibus, collectis, mutuis, & quibuſcunque alijs exactionibus,quæ in Sicilia pro quibuſcunque cauſis, & negotijs infuturum imponentur.

Aliud Piuilegium Regis Ludouici Anno 1357. in quo habentur hæc verba; omnes Ciues Ciuitatis Meſſanæ ſint liberi, & exempti, & immunes àb omnibus realibus, & perſonalibus, necnon à quibuſcunque Collectis, ſeù angarijs quocunque nomine nuncupatis.

Aliud Priuilegium Federici Quarti Regis Anno 1367. in quo vult,quod omnes dictæ Ciuitatis Ciues, & habitatores àb omnibus collectis, mutuis, inuentionibus Regis, & quibuslibet alijs exactionibus quocunque nemine nuncupatis, & præſtationibus, ſint immunes, & exempti, & quod àb eis,vel ipſorum aliquo nullus cenſus publici penſitatio largiatur, quam ex noſtra ſcientia remittimus, & canonum, & alias præſumptas collectas, & in omnibus partibus, locis, terris, & Ciuitatibus Imperij liberos

beros

beros facimus; & exemptos àb omni datione maris, & terræ grauamine, & liberè in eis mercimonia conferant.

Hæc sunt præcipua Priuilegia, quibus se tuentur Messanenses contra indictionem Vectigalis; Alia enim sunt eorundem confirmatoria, quæ transiuisse in vim contractus prætendere possunt, vt licet regulariter Princeps posit priuilegium subdito concessum reuocare, vt ait Felyn. in cap. nouit num. 10. de iud. nihilominus non valeat tamen sine caussa iusta reuocare priuilegium per viam contractus etiam de plenitudine potestatis *Cephal. cons. 549. n. 58.* vbi etiam addit, nec ex iusta caussa *Roland. cons. 13. num. 30. libr. 3. Bolognett. cons. 1. nn. 149. & cons. 2. num. 49. Io. Vinc. de Anna allegatione 69. num. 15. lib. 1. Bursatt. cons. 16. num. 47. libr. 2. & cons. 200. num. 130. Cephal. cons. 149. num. 86. Port. lib. 5. conclus. 19. fol. 972. Lancellott. Corrad. in templ. iudic. tit. de pote. Et præstit. Imper. §. 4. fol 76. Decian. cons. 51. lib. 3. cons. 25. libr. 1. Hyppol. Rimin. cons. 116. nu. 24. Surd. cons. 322. nu. 30.*

Nam Priuilegia concessa intuitu seruitiorum transeunt in vim contractus, & fiunt irreuocabilia *Decian. d. cons. 25. Roland. à Valle d. cons. 13. num. 30. vol. 3. Bartol. in l. ij. qui ff. de iur. immun. & in l quod semel ff. de decret. àb ordin fac. & in l. omnes populi ff. de iust. & iur. Io. Andr. in addit. ad specul. in tit. de Cens. §. nunc dicendum in tit. de inst. edic. §. nunc verò aliqua Bald. in l. qui se Patris C. vnd. liber. & in l. si cum mihi ff. de dol. Innoc. in cap. in nostra de iniur. & in cap. dilectum de tempor. ordin. Ant. de Butr. in capit. at si clerici §. de adulterijs de iudic. Bart. in l. priuilegia C. de Sacrosanct. Eccles.*

D Barbat.

Barbat.in cap.nouit de iudic.Tiraquell. in l. §. si vnquam C. de reuocand.donat.ver.donatione largitur num.14.Gramm.decis.65. nu.24.Osasch.decis.139 num.28.Surd.consl.140.num.38. De Ponte cons.60.num.22. Et licet Principi concedere priuilegium non soluendi gabellam, & ob benemerita concedere immunitatem *Bald.in cap.1.de contr. inuest. & in cap.1.de capit.qui Cur.vend.Bart.& Angel.in l.2. C. de bon. vac.lib.10.* quam reuocare non potest, cum transeat in vim pacti, & conuentionis *l. quod semel, & ibi Bart.ff. de decr àb ord.fac. & in l.ij. qui ff.de iur.immun.Iul. Ferrett. de gabell num.1 7.Berracchin.de gabell.par.1.nu.24.*

Secundo loco adducunt Messanenses Conuentionem nouissimè factam, de qua suprà dictum est, quam Principem, & suam Catholicam Maiestatem non posse reuocare etiam de plenitudine potestatis contendunt *Dec. in cap. 1. num. 5. de probat. Alciat. reg. 3. præs.8.num.5.Plot.cons.6.Gramm.decis.65.num.27. Ant. Gabriel tit.de iure quæsit.non toll.concl. 5. num.1. Bursatt. cons. 160. num. 36.* Principem etenim non irritare pacta, & promissiones *Andr.àb Exea tract.de pact.n.456.Marc.Anton. Pereg.de iur.fisc.lib.1.tit. 2.n.44.* siue contractus fiant cum subdito, siue cum non subdito: in isto enim casu Principem considerari vti priuatum *dicto tract.de iur.fisci lib.1. n.10.* non potest tollere ius quæsitum ex contractu *Rip. resp.10.n.20.Cagnol.in præm.ff.sub n.45.* id negari Principi etiã in casu necessitatis *Borgnin. decis. 35.n.110.* dixit *Clar. in § feudum quæst.59 vers.1.Vasq.lib.2. Illustr.contr.cap.51.n.29.* Principi licere sibi subijcere leges, non tamen contractus *Bald.in cap.1.vers.nec obstat de nat.feud. Crauett.cons.*

241.*num.*12.*Iaſ.in l.1 num.*4 *ff. de pact. Roland. à Vall. conſ.* 3.*num.*34.*vol.*1.*Foller.in praxi Cenſ in verb.ſubmiſsionis num.* 6.*Burſatt.conſ.*160 *num* 16.*verſ.*2. procedere in Principe non recognoſcente ſuperiorem *Rip reſp.* 12.*num.*7. *in verb de diuerſ.reſcrip.Plot.conſ.*24.*num* 137. conſtitutionem namquè illam, Pacta ſeruabo, proceſsiſſe àb ore Dei habetur lib.Prouerbior.cap.5.*Bald.in rubric. de Conſt.num.* 1.rurſus pacta eſſe de iure Gentium *l. ex hoc iure ff.de iuſt. & iur.* ergo immutabilia *§.ſed naturalia inſtit.de iur.nat.gent. & ciuil.* & propterea ſecundum naturalem rationem quemlibet pacta ſeruare teneri, vt ait Iaſ. *in l.* 1. *num.* 3. *ff. de pact. Bald. in l.* 2. *num.* 45. *C. de ſeruit. & aqua* & Ariſtotelem ſcribentem ad Alexandrum, eum admonere, vt pacta, & promiſſa obſeruaret, refert idem Bal.*in d.l.*1.*ff. de pact. & ibi Iaſ.num* 1.grauius peccare Principem frangendo fidem, quàm inferiorem *Crauett. conſ.*241.*num.*19. *Cephal.conſ.*549.*num.*32.*Menoch. conſ.* 1.*num.* 227. *&* *conſ.* 721.*num.* 3. & nihil eſſe quod in Principe magis præfulgeat, quàm recta fides *l.inter claras C.de Sum.Trin. & fid.cat.Bal.in l.*1.*ff.de Conſt.Princip.Fortun.in l.*1.*&* *l.ius naturale ff.de iuſt.& iur.*Sexcenta huiuſmodi inueniri poſſunt,quibus poteſt Ciuitas Meſſanæ prætendere obſeruantiam, tùm vltimæ conuentionis, tùm Priuilegiorum, quæ in vim contractus tranſitum fecere; quæ in caſu noſtro non procedere demonſtrabimus.

Reſtat pars tertia, in qua noſtrùm erit euertere fundamenta, quibus impoſitio Vectigalis impugnatur: at opportunum eſſe arbitramur nonnulla prius

præmittere, quæ stare possint tanquam principia, à quibus multa ad rem emanare dignoscentur.

Primò præmittimus ad munera patrimonialia omnes teneri de iure communi, etiam Priuilegiatos *l. munerum §. patrimoniorum autem ff. de muner. l. 2. C. de muner patr. libr. 10. l cum immunitatem, & l. neque C. eod. l 2. §. quæ patrimoniorum ff de vacat. muner. l. 1. & l. in fraudem C. de ann & trib. l br. 10 l si diuina C. de exact. trib. lib. 10. l. final. C. de muner patr l. omnes C. de oper. pub. l. 1. C. de superind. l. fin. C. fin. cens. vel rel l. 1. C. de inmun. nem. conced. lib. 10. l 1. C. de vacat. mun libr.* 10. cum mille similibus, adeòut immunitas àb ijs à Principe concessa ad excusationē non prosit, habetur in dictis iuribus, *l. vacuatis C. de Decur. l. nullum C. de vac. mun. publ l. his oneribus ff de vacat. muner.* Vectigal, quod impositum est super extractione serici dicitur patrimoniale, quia aliqd in eo soluitur, vel accipitur de patrimonio, seù de bonis alicuius *l. 1. §. de patrimoniale ff. de muner. l. munerum §. patrimoniorum sunt munera ff. eod.* nam solum erogatio Patrimonij in illius versatur exactione, & propterea ex hoc dicitur patrimoniale munus *l. 1. §. illud tenendum l. rescripto §. sciendum l. fin. §. patrimoniorum ff. de muner. & honor.* dicimus istud Vectigal esse merè patrimoniale dum imponitur rei, præstandum tamen in pecunia numerata, vel alia re, quæ non nascitur ex re obligata, nàm in hanc, & alias duas species diuiditur munus patrimoniale, probatur *in l. vnic. num. 37. in vers. ista sunt triplicia C. de mulier. & in quo loco, Ioann de Plat in Rubr. C. de ann. & trib. col. 2. vers de tertio munere patrimoniali, Doct. in l. placet C. de sacrosanct. Eccles.*

clef. nàm quandoque fit contributio de ipsa re, vt est tributio rei vehicularis, vel nauicularis, equi, vel mulæ *l.* 1. *in principio l. fin.* §. *patrimoniorum autem ff. de muner.* quandoque enim contributio fit de eo, quod percipitur ex ipsa re, veluti quod detur tertia pars fructuum *l. modios C. de suscept. & arcar.* cuius generis sunt decimæ prædiales Ecclesiasticæ, tributa, quæ ex fructibus rerum præstantur, census quoque, & canon emphyteoticus, aliæq. omnes reales præstationes, quarum multas species enumerat Petr. Antibol. *de muner. in* 4. *part.* §. 2. *incipit, multiplex est diuisio munerum num.* 7 *vsque ad nu.* 20. quandoque demùm contributio imponitur ipsi rei, sed præstanda in pecunia numerata, prout est casus noster, & propterea Ioann. de Plat. in loco præcitato, Vectigal istud vocat onus reale, quod non imponitur personæ pro rebus, sed rebus ipsis: Vectigal enim dicitur illud, quod soluitur pro rebus à Ciuitate euectis, vel inuectis, est octaua pars *l. ex præstatione, & ibi Salycet. C. de Vectig. & comm. l. allegatis eod. tit. Glos. in l. si publicanus ff. de pub. in* §. 1. Vnde exactores dicuntur octonarij Aegyd. Thom. *de collect. n.* 13. §. *exactio munerum* à quo nemo excusatur, nisi quatenus lege, vel priuilegio speciali vacationem obtineat; Quod sit patrimoniale munus Vectigal dixerunt. Bart. *in l. honeste* §. *vectigal ff. de priuil. veter. gloss. in l. venditor* §. *si quid verbo tributorum ff. de hæred. vel act. vend. Parlador. libr.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. *num.* 27. *fol.* 45. licèt Ignat. Lasart. *de decim. cap.* 19. *num.* 96. contra Parlador. dicat decimam illam dictam, Alcauala, constituere quartam spe-

ſpeciem, & diſtinctam àb illis tribus, ſcilicet munerum patrimonialium, perſonalium, & mixtorum, & dici impoſitam in contractibus profiteatur, quod in caſu noſtro nihil oppugnat. Secundum itaque communes diſtinctiones Vectigal dicitur munus patrimoniale, & ordinarium, quia à Principe certa forma indictum reperitur Bart. *in l. 1. C. de vac. pub. mun. per l. ſed etſi per Pratorem §. ſi feriæ ff. ex quib. cauſ. maior. Aegyd. Thom. de Collett. num. 21. §. exactio munerum* Eſt ordinarium, quia à Principe indictum, quod ſit perpetuum, quod ſit vniforme, quæ ſunt requiſita ad ordinarium munus conſtituendum Thom. Farpa *in l. placet C. de Sacroſanct. Eccleſ. num.* 144. quando imponitur à Principe dicitur ordinarium *Bar. in l. 2. ff. de iur. immun.* & propterea nemo àb illius ſolutione excuſatur, niſi ſpeciali priuilegio fulciatur, quod quale eſſe debeat ad excuſationem parandam inferius dicemus.

Secundo dicimus Priuilegium immunitatis, vt valere dicatur, tria in eo debere concurrere. Primo quod ſupremus Princeps illud concedat, quod ſupra probatum extat. Secundo quod ex cauſſa iuſta, & probata concedat. Tertio quod in tempus, non in perpetuum *l. 1. C. de his qui à princ. vac. mun libr.* 10 *l. immunitates C. de agricol. & cenſit. libr. 11. l. 1. in princ. ff. de vaca. mun.* Nam ſi ſine cauſa, vel in perpetuum concederetur, non eſſet qui munera ſubiret Petr. Antibo. *de muner. §. 4. num. 96.* contra enim immmunitatem perpetuam, & àb omnibus oneribus hæc pugnant. Primo quia iſta munera, quæ indicuntur patrimonijs

de-

debentur ratione publicæ vtilitatis, ac necessitatis, pro bono, ac regimine publico, ad sustentandum imperium; sed contra dictam vtilitatem, ac necessitatem omne rescriptum cessat *l. omnes C. de fund. patrim. l. nulli C. eod. l. fin. C. de fund. limit.* ergo in validum tale priuilegiũ. Imò adeò hoc verum dicit Aegyd. Thom. *de collett. num. 35 §. exactis ecclesiasticis personis* quod Imperator, & Cæsar nequeat huiusmodi priuilegia concedere, cum in hoc debeat stare legibus, & dispositionibus vetantibus talia priuilegia, vti destructiua boni publici, eaq. dicit contra ius publicum, ibi agit de quæstione, An Nobilis possit à Principe obtinere immunitatem à muneribus, in qua concludit per multas rationes, quod non possit in præiudicium Imperij, quod inculcat in § *nescienter ante nu. 13.*

Tertio præmittimus immunitatem à muneribus concessam non intelligi à patrimonialibus *l. hÿ qui ff. de vacat. mun. l. 1. C. de his qui vac. rer.* hinc Bart. *in l. 2. C. de iur. immun.* arbitratur immunitatem debere concedi specialiter, & distinctè de muneribus personalibus, & realibus, ordinarijs, & extraordinarijs: nàm si concederetur simpliciter, non haberet locum in patrimonialibus, quod immunitas non trahatur ad munera ordinaria, & patrimonialia allegando Bart. *in l. spadonem §. qui accepit. ff. de excusat. tutor.* Ioann. de Socarr *in cons. catal. Rubr. Utrum Vassallus teneatur sequi Dominum. num. 95 fol 380. comprobat.*

Nam regulariter immunitatis Priuilegia sunt prohibita de iure Anchar. *cons. 261. Boss. de princip. & priuil.*

num.

*num.*136.*Lancell.corrad.in templ. iudic.*§. 4. *num.* 9. *est textus in l. etiam C. de mun. patrim.* in quo dicitur quod frustrà quis obtinet per Priuilegium plenam immunitatem, imò est contra naturalem rationem, neminem locupletari debere cum alterius iactura dictantem. *l. iura naturæ ff. de reg. iur.* Priuilegiorum immunitas facit, vt quis locupletetur cum aliena iactura, cum onus, quod immunis portare debet, alius sustineat contra *l. actores, & ibi Bart. C. de exact. trib.* huiusmodi immunitas est odiosa, dùm aliquibus leuamen munerum præstat, & alijs grauamen infert, contra *l. fin. C. quemad. ciuil. mun. ind.* iubentem onera æqualiter esse distribuenda omni annotatione cessante: propterea dixit Thom. Parp. *in l. placet C. de sacrosanct. Eccles. nu.* 215. quod Princeps non potest concedere immunitatem à patrimonialibus, & si concederet, expressè, rescriptum præsumeretur surreptium, habemus *text. & ibi Bart. not in l. in fraudem C. de exact. trib. lib.* 10. quod ampliandum dicit, si fiat cum voluntate totius Vniuersitatis *per text. in l. vacuatis C. de Decur. libr.* 10. & requireretur quod Priuilegium non solum haberet expressè de immunitate munerum patrimonialium, verum etiam adesset clausula, non obstante l. vacuatis, cum a munere publico, authoritate, & vtilitate, siuè sit publica vtilitas, secundariò, siue principaliter nullus exemptus excusetur, quamuis exemptionem à Principe à muneribus obtinuerit *est gloss. notabilis in isto tex. & ibi Bart. post Dynum in l. spadonem §. qui accepit ff. de excus. tut. & probat tex. in l. non tantum §. non omnia ff. eod. titulo*

Ideò

Ideò assumit cautelam *Thom. Parp. in d. l. placet C de sacrosanct. Eccl.* vt debeat inseri in exemptionis priuilegio clausula illa, ab omnibus muneribus etiam publicis, authoritate, & vtilitate, siue principaliter, siue secundariò. A muneribus patrimonialibus non posse concedi immunitatem suadent etiam multæ rationes. Primo ex dispositione *text. in d. l. vacuatis*, in quo immunitas non potest concedi, sed omnes ciuilibus necessitatibus subijci debent, & dicit ibi glos. quod non admittitur nisi in præiudicium concedentis, si concedens immunitatem, assumeret obligationem soluendi munera pro immunibus.

Secundo facit, Vectigalia, tributa, & collecta æquiparantur, *Salicet. in l. vectigalia C. nou. vectig. Bald. in Rubr. C. de exact. trib.* in vectigalibus non conceditur immunitas *l. quicquid C. de vectig. d. l. in fraudem.* Ergo idem est dicendum in muneribus, hoc argumentum à simili, & per comparationem astruit *Aegyd. Thom. de collect. nu. 58. §. nobilitas*, sed in casu nostro procedit directè, quia versamur in vectigali.

Tertio facit, omnia prędia sunt tacitè hypothecata pro collectis *l. 1. C. in quib. caus. pig. tac. contr. Ias. in l. apud Iul. §. hares de leg. secundo,* at cum, hac obligatione inspecta, dicatur debitum muneris publicum, ideò non potest remitti *l. ambitiosa ff. de decr. ab ordin. fac.* cum à Principe in præiudicium imperij per indulgentiam immunitatis dimitteretur debitor publicus à nexu publicarum functionum, grauando alios de Vniuersitate; hoc argumentum quemadmodum

E prin-

principaliter, & directè concludit in collecta, qui habet bona hypothecata tacitè, sic à comparatis procedit in vectigali. Rursus etiam ab identitate rationis, nam cum sit indictum pro necessitate publica, Immunitas enim quorumdam induceret grauamen aliorum, cum pro subleuanda necessitate ad impositionem aliorum munerum esset recurrendum.

Quarto facit, munus patrimoniale est ordinarium *l. fin. §. patrimoniorum autem ff. de muner.* etiam si publica vrgente necessitate indicatur *l. 1. C. de indict.* munera patrimonialia dicuntur etiam realia *l. sunt munera ff. de vac. muner.* cum sint contributiones, quæ in possessionibus sunt *l. penult. C. de priuil. veter.* sed ab ordinarijs non conceditur immunitas *l. in fraudem, & ibi Bart. C. de ann. & in l. 1. C. de indict. Ang. in princip. instit. de excus. tutor. in principio Bart. in l. 1. C. de vac. pub. mun.* pariter etiam quia sunt realia, *Anchar. cons. 96.* ideò tale onus est proportionabiliter semper indicendum nullo priuilegio suffragante *l. 2. §. cum in eadem ad leg. Rhod. de iact.* in publicis functionibus exoluendis ęqualis debet esse inspectio, ita vt priuilegium in contrarium impetratum nullius sit momenti *l. quidquid C. de vectigal. l. qui immunitatem C. de mun. patrim.* nè immunitas Reipublicę caussam deteriorem faciat *contra l. cura in fin. ff. de mun.* debent omnes pro modo suarum facultatum patrimonialia munera agnoscere; Hanc argumentationem vniuersam ad casum nostrum conferimus, cum vt supra probatum habeamus, ve-

ctigal

ctigal nostrum esse patrimoniale merè, & sic reale, ordinarium, quia à Principe indictum, caussa publica, perpetuum, & vniforme.

Quinto facit, dispositio l.generalis censuit, omnes agnoscere debere onera pro modo fortunarum, quandoquidem ea patrimonij munera esse constat. *l.1.C.de indict.l.1.& fin.C.de mun. patr. l. rescripto in fin. ff. de muner.* sed clarum est, quod aduersus hanc dispositionem Reipublicæ caussa instructam quæuis authoritas iudicialis, & imperiale rescriptum vires habere haud potest, cum agatur de publico, ac ciuili redditu *l.fin.C.de diu.præd.vrban.& rustic.temp.& euict.ac omni reddit u ciuili:* annotatio igitur imperialis non potest infringere dispositionem legis generalis super commodo publico, necessario: ideo dicendum est Cæsari fore interdictum ius concedendi immunitatem à munere patrimoniali, cum tex. ibi dicat, nec imperiale rescriptum, hoc fortius in casu nostro, vbi agitur de vniuersali commodo, & in l.fin.ob particulare Ciuitatis obsequium.

Sexto facit *l. etiam C. de mun. patrim.* vbi frustrà quis desiderat plenam immunitatem à muneribus impensam exigentibus, quæ cum sint patrimonialia *d. l. fin. l. patrimoniorum iura ff. de mun.* àb illis non admittitur immunitatis priuilegium. Ità specialiter respondet ibi Imperator.

Septimo facit *l. iubemus nullam C. de Sacrosanct. Eccles.* quæ est repetita *in l fin. C. de nauib. non excus. lib.* 10. in qua omnia priuilegia, etiamsi sint concessa intuitu Reli-

gionis, vbi agitur de publica necessitate, aut vtilitate, & in casibus ibi expressis; etiam si proferatur cæleste oraculum, siue annotatio, siue diuina pragmatica sanctio non præstant vacationem, & si de facto immunitatis rescriptum proferatur, erit nullius roboris *& ibi Bald.* dicit, quod à necessitatibus imminentibus Ecclesiæ Romanæ nullus ratione priuilegij potest se excusare, si libertatem Ecclesiæ æquiparamus publicæ vtilitati, eodem modo cessabit contra necessitatem publicam, quamità Deus auerteret à Regno nostro, sicut grandis extat.

Octauo facit, hæc immunitas est contra ius publicum, obligationem namque publicam præstandam Domino, obsequio solutionis munerum, extinguit, quod dicitur seruitium, quod subire tenentur omnes subditi ergà Principem *Bald.cons.327.1.volu.per l.malè agitur C.de præscript.30.ann.l.Pomponius ff. quib. mod. vsufr.amitt.* immunitatis ergò priuilegium obsequium Domini tollit.

Nono facit, tale rescriptum est in præiudicium tertij, & per consequens nullum, cum à lege interdictum sit Principi concedere immunitatem in alterius iniuriam *l.nec auus C.de emancipat. lib l.1. ex facto ff. de vulg.* qui non potest confirmare contractum nullum ex defectu iuris positiui, vbi de præiudicio alterius agitur: *Paul.de Castr.cons.230.* nec tollere ius quæsitum alteri sine iusta caussa *Alex.cons 136.in 6.vol.l. Lucius ff. de euict.Bar.in l item si verberatum ff.de rei vendicat* & maximè quando tale ius fuit quęsitum ex contractu, vel

quasi

quasi *Angel. in l. cotem ferro §. agri ff. de pub.* puod sit in præiudicium tertij ostendimus, nam cum vnusquisque solum pro modo facultatum muneribus publicis teneatur, admissa immunitate, alter compelleretur indebitè, ad sustinendum munera priuilegiato competentia. In hoc argumento sicut conuenimus cum Messanensibus in conclusionibus, ità in applicatione dissentire non valemus, si vtrique verum amabimus. Clarissimum enim est, quod id, quod non soluit eorum Ciuitas prætextu immunitatis, soluere tenentur aliæ Regni Vniuersitates, cum dempta portione, quæ competeret dictæ Ciuitati, reliquum ad subleuandam publicam necessitatem haud sufficiat, vndè immunitas resultat in præiudicium tertij. Argumentum arbitramur iuridicum, & validum, cui non credimus, accomodari responsionem posse.

Decimo facit aliud argumentum, contra commoda rei priuatæ omnia priuilegia tacent super contractu extinguendi canonem, licèt fuerit annotatio, vel diuina pragmatica *l. fin. C. de fun. rei priu.* at si in commodo rei priuatæ cessat priuilegium, multò fortius aduersus commoda publica, ac iurisdictionem, quæ vetustatis tempore lædi, nec aliter pulsari potest *l. competit C. de præscript.* 30 *vel* 40 *annor. cap. placuit §. iubemus* 16 *quæst.* 3 pariter nec obligatio munerum perpetua, tollitur tempore *gloss. in l. qui luminibus ff. de seruit. vrban. præd. d. §. iubemus Bald. Angel. in l. quod si nolit. §. si quid ita ff. de ædil. edict. Bart. in l. nemo potest ff. de leg.* 1. *l. sicut in annos in princip. ff. quib. mod. vsufr. amitt.* cum itaque priuilegium

gium

gium immunitatis sit in præiudicium aliorum subditorum, dum grauantur vltrà modum, respectu illius portionis, quam non contribuit priuilegiatus, meritò de iure non subsistit.

Vndecimo facit, indictiones patrimoniales ob tutelam publicam institutæ sunt *l. vnica C. de infam.* Ideò qui consequuti sunt immunitatem, nihilominus muneribus patrimonialibus obligantur *l. 3. C. de mun. patr.* hinc si Princeps vacationem à muneribus patrimonialibus indulgeat, impediri dicitur defensio publica, quæ est iuris naturalis, & beneficium naturæ, sed quia defensio authoritate Principis quantumcunque supremi, ac potestatis plenitudine vtentis, non potest auferri *Card in clem. 2. §. cæterum de re iud. l. fin. C. de his, qui ven. ætat. imp.* ideò contra vetita iuris, concessio immunitatis à muneribus Patrimonij à Principe emanata non subsistit *l. penult. C. de fund. patr.* nam publica commoda, & publicæ functiones pacto laniari non possunt *l. vniuersi C. de legat.* in fraudem Ciuitatis manumissio non admittitur, nec in fraudem fisci *l. in fraudem ff. qui, & à quib.* multò fortius dicendum est publici fauoris causa vrgente publica necessitate, & in præiudicium totius Regni non procedere immunitatem concessam Messanensibus.

Has argumentationes oppugnare non possunt aliqua iura, quia loquuntur in muneribus extraordinarijs, vel personalibus, quæ valdè differunt in hac materia concessionis immunitatis, cùm in omni immunitate concessa excludantur munera lege,

Senatus-

Senatuſconſulto, aut Conſtitutionibus Principum inſtituta *l. vnica C. de vac. mun.* & patrimonalia, quia ſunt à lege emanata, meritò excluſa ab omni immunitate cenſentur: facit *in l. in honoribus §. qui muneris. ff. de vacat.* hinc ſi concedatur plena vacatio veterano, eum à muneribus patrimonialibus non eximeret, *l. pen. ff. de priuil. veter.* cum ſint duo genera vacationum *l. pen. §. duo ff. de vacat.* & ad vectigalia immunitatem quamuis amplam non extendi dixit *Bald. conſ. 407. vol. 5. & in l. omnium C. de vectigal.* priuilegium itaque immunitatis non comprehendet munera patrimonialia, quia ordinaria, in quibus procedunt, quæ ſupra diximus, argumenta. Nec obſtat ſi in medium afferatur, Principem poſſe concedere plenam immunitatem à munere patrimoniale, quod habetur *in tit. ff. & C. de vacat. muner. & ff. de iur. imm.* nam ibi Imperatores, & iura vacationem à perſonalibus, & extraordinarijs muneribus in caſibus ibi expreſsis concedunt, à patrimouialibus, quæ rei adhærent expreſsè vetant *l. ſunt munera ff. de vacat. mun.* ſumma quidem ratione approbantur, nè iuriſdictiones, ac obſequia publica pereant, vel ad nihilum redigantur, adeò verum, vt nec validum cenſeatur priuilegium immunitatis, etiamſi inſeratur clauſula, non obſtante, quia cum iſta clauſula ſit æquiparata clauſulæ, ex certa ſcientia, & quemadmodum illa in præiudicium tertij non valet, ità nec dicta clauſula, non obſtante, iuuabit immunitatis priuilegium *Dec. conſ. 554. num. 4. l. omnis C. de aquaduct. lib. 11.*

Et licèt aliqui dicant concessionem immunitatis de iure effectum sortiri cum clausula non obstante, *l. vacuatis C. de Decur. lib.* 10 *secundum Bart. Bald. Angel. & Doctores ibi Alex. cons. 30. col. 3. in 5. vol. Bald. in l. neq. damnosa col. 1. vers. iuxtà istam partem C. de precib. Imper. offeren.* tamen non sufficere clausulam, non obstante, aliqua lege in contrarium faciente, licet aliter in alia materia sufficiat. probat ex multis *Nicolaus Festasius de æstim. & collett. par. 4. cap* 7. debet enim fieri concessio cum clausula, non obstante *l. Lopez par. 3. tit. 15. leg. 2. gloss. les quita, Ioann. de Socarratis, in cons. cathal. rubr. vtrum vassallus tenetur sequi Dominum num. 129. fol. 298.* Et quando duo concurrunt in concessione immunitatis, scilicet graue damnum, quod alicui infertur, & lex, quæ priuilegio concesso repugnet, requiritur eius legis repugnantis expressa derogatio: *ità Alex. cons. 187. in 5. vol.* hanc distinctionem communiter esse receptam dicit *Gomes. cap. 1 de const. libr. 6.* multa adducens, tenent *Bald. & Salicet. in l fin. C. si con. ius vel vtil. public.* multa alia adducit *Gar. de nobilit. gloss. 1. §. 1. num. 5. & seq.* quæ distinctio maximè ad casum nostrum facit, quia vt suprà ostensum est, per priuilegium immunitatis, & legibus prohibentibus concessionem immunitatis à muneribus patrimonialibus, derogatur, simul atque omnibus alijs Regnicolis præiudicium affertur.

Sed in Priuilegijs Messanæ nos non legimus nec clausulam, non obstante, quacunque lege in contrarium dictante, nec specialem legum omnium *C. de vectig. & comm. l. in fraudem l. vacuatis cum similibus* ideo-

que

que versamur extra difficultatem opinionum, de quibus *per Lancell. in templ. iud. §. 4. vers. 3. num. 26. & 27. & vers. immunitates, num. 8.* vbi dicit requiri secundum communem opinionem clausulam, non obstante aliqua lege, & Bart. subiungit isthæc verba, in contrarium faciente.

Nam approbatissimum in iure reperitur, authoritatem rescripti, & eò fortius priuilegij immunitatis, non procedere in præiudicium tertij *l. nec Auus C. de emancip. lib. l. quoties C. de precib. Imper. offeren.* cum non sit præsumendum Principem niti aduersus iustitiam, ac ius tertij *cap. 1. de Const. lib. 6. dicit Ant. de Butr. in cap. caussam quæ de rescript.* quod concessio facta alteri cum clausula, non obstante, intelligitur de inualida, nè fiat interpretatio in præiudicium tertij, sequitur *Alex. cons. 354.* nam si per talem clausulam concederetur potestas auferendi ius tertij, omnia subuerterentur, quod minimè dicendum est. Ita profectò in præiudicium Regni totius eueniet, si Priuilegia immunitatis Ciuitati Messanę obseruarentur, resultaret grandis iniquitas, & peccaretur, maximè in iustitia distributiua, Ciuitas enim illa publicis calamitatibus non esset obnoxia, nec damnum commune sentiret, quod euitare debet Rex Dominus Noster, qui semper æqua lance honores, præmia, & onera publica in omnes distribuit, iniustum nè reddent illum Priuilegia Ciuitatis Messanæ? absit hoc à Sua Religione, iustitia, & æquitate.

IV. Supponimus tẽpore necessitatis omnia priuile-

gia silere, sic videmus, quod tempore belli etiam exemptis, & priuilegio munitis imponitur collecta, quod discutit *Alex. in l. si ex toto ff. de leg. 1. in principio, & in l. honoribus de vac. mun. & cons. 193. incipit ex themate in 3. dub. vol. 2. & cons. 206. eod. vol. & cons. 30. in 5. vol. Alberic. in prima parte statutorum quæst. 28. incipit.* Quid si potestas, refert, & sequitur *Thomas Parp. in d. l. placet C. de sacrosanct. Eccl. num. 53.* Et in casu vrgentis necessitatis, prout nos versamur, nec quidem Ecclesiam excusari dicunt iura, & Doctores *in l. 1. C. de indict. l. placet C. de sacrosanct. Eccles.* latè rem exagitat respondendo contrarijs *AEgyd. Thom. de collect. §. non obstat, & Nicol. Festas. de æstim. & collect. cap. 2. num. 22. & seq. par 4.* Sed ommissa hac Disputatione in Ecclesia, desiderarentur enim alia requisita vltrà necessitatem, & præcisè licentia Summi Pontificis, quod latè prosequitur *Bouadig. in sua Polit. lib. 2. cap. 18. nu. 299. & 316.* loquendo ad terminos quæstionis nostrę dicunt Doctores, quod stante necessitate, etiam exempti priuilegio debent contribuere, non obstantibus quibuscunque clausulis geminatis, *ex Din. in l. si ex toto in principio ff. de leg. 1. ex Bald. Alex. & Alberic. Dixit Nicol. Festas. de æstim. & collect. par. 4. cap. 7.* dicunt enim Principem non cogitasse de casu necessitatis, nisi tempore concessionis, iam subsisteret, aliàs quācumque immunitatem per verba geminata, & amplissima conceptam non comprehendere casum necessitatis affirmant, quia quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, & exemptiones, & immunitates ge-

nerales

nerales possunt aliquando violari, *Castr. in l. Diuus nu. 5. vers. non etiam ff. de pet. hæredit.* Ideò ob causam necessitatis immunis collectatur, quapropter *Bald. in l. iubemus C. de sacrosanct. Eccles.* dicit, quod necessitas probabile facit quod non erat, rursus pro salute humani corporis, statuta, & leges transgredi licet, quia sic Reipublicæ interest, vt inquit *Bart. in l. quoad præsens in fin. C. de murileg. lib. 11.* nam si immunitas casum contrarium Reipublicæ includeret, non valeret, *Ias. in d. l. si ex toto nu. 13. Felin. in cap. causam, quæ de rescript. num. 17.* quò fit, vt per quæcunque verba concipiatur immunitas, ad onera ex inopinato casu indicta non trahitur, cum publicè intersit huiusmodi concessiones tunc negligi, *Alciat. in l. munus tribus in vers. immunitatem ff. de verb. significat.* Et licèt aliqui *vt Ray. in d. l. si ex toto* teneant in casu necessitatis immunitatem extendi, quia saltem Principem cogitasse de ea præsumitur, quem sequuntur *Castr. Imol. Aret. ibi & Alex. sibi contrarius in cons. 192. col. 3. in secundo,* Tamen opinionem Dini communem attestatur *Ias. in d l. si ex toto,* quam sex fundamentis corroborat, sequitur *Festas. d. tract. de æstim. & collect. par. 4. cap. 7. nu. 57. Iul. Ferret. de gabell. num. 530. & Panciarol. cons. 18. num. 4.* in concessione priuilegij immunitatis non censeri Principem cogitasse casum necessitatis affirmat, vndè eo non obstante, posse tale priuilegium reuocare, aut in melius reformare *iuxtà cap. 1. de præb. in 6. & cap. 2. de concess. præb. eod. lib. notat Io. Andr. in addit. ad specul. in tit. de instrum. ædit. §. compendiosè* dicit ibi, quod si aliquid

necessitas, vel vtilitas suadet, non est credendum, Principem, si hoc sciuisset, contra eam aliquid concessurum fuisse, Et licèt *Castr. in d. l. si ex toto* dicat sibi placere opinionem Raynerij, tamen *in l. neminem C. de sacrosanct. Eccl.* Dini sententiam amplectitur, quam tenent Doctores pro veritate, & magis communem *Ias. in d. l. si ex toto num. 7. & num. 12. Rip. nu. 12. Alberic. loco citato Felin in d. cap. caußam, quæ* receptam sententiam dicit *Roland. à Valle cons. 5. num. 26. vol. 1.* communem *Natt. cons. 63. Plot. in l. si quando §. 1. num. 17.* etiam si adsint verba in priuilegio solitis, & insolitis, *Franc. Marc. quæst. 458. Viu. in com. opin. verb. immunitas in principio num. 1. Cacheran. decis. 91. nu. 1. Gaill. obseruat. 52. num. 26. & sequen. lib. 2. Emman. Suar. in littera I. nu. 6. Bursatt. cons. 16. num. 51. quorum Ias. Rip. Viu. Rolan. Bursatt.* hanc esse magis communem tradunt Rosent. *de feud. in tit. de regal. conclus. 86. num. 4.* Hic opportunum videtur testimonium Titi Liuij lib. 33. sed magnum certamen, inquit, cum omnibus Sacerdotibus eo anno fuit, Quæstoribus Vrbanis C. Fabio labeoni, & L. Aurelio, pecunia opus erat, quod vltimã pẽsionem pecuniæ in bellum collatæ persoluere placuerat priuatis. Quæstores àb auguribus pontificibus quod stipendium per bellum non contulissent à Sacerdotibus Tribuni nequicquàm appellati, omniumq. annorum, per quos non dederant, exactum est, non obstante prouocatione illorum ad Tribunos, & allegatione priuilegiorum à Numa, & primis Consulibus concessorum; Hinc vulgatum adagium, necessitas
non

non habet legem, imò lex ſubiacet neceſsitati *Oldra. conſ.* 190. *Anchar. conſ.* 243. *num.* 4. in caſu neceſsitatis prohibita ſunt licita, & quæ ſunt punienda remanent impunita, quæ nulla, fiunt valida, multa cumulat *Petr. Gerard. ſing.* 110. *& Bart. in l.* 1. *§ præterea num.* 87. *& ſeq ff. de quæſtion.* facit de illicito licitum *cap. quod non eſt de reg. iur. vbi gloſſ. cap. quanto de conſuetud. Bald. in l. diuus Pius in princip.* 2. *not. ff. de pet. hæred. quem ſequitur Felin. in cap. querelam num.* 19. *de iureiur.* tantiſq; eſt neceſsitas priuilegijs munita, quod etſi quis ſua ipſius opera in neceſsitatem aliquam inciderit, iuuari tamèn debeat, ſcribunt Alex. *in l. quamuis nu.* 11. *ff. ſol. matr.* quem allegat *Menoch. conſ.* 299. *num.* 8. Priuilegia ſilent tempore famis, & belli *l. pro tuitionibus C. de priuil. dom. Aug. lib.* 11. omnem immunitatem excludit *Ioann. de Plat. in l.* 1. *C. vt ne lic. ſe excuſ.* & in conceſsione immunitatis àb omnibus, & ſingulis capitationibus, gabellis, impoſitionibus, collectis, angarijs, & perangarijs realibus, & perſonalibus, quæ dici, & excogitari poſſunt, quocūque nomine cenſeantur, & quacunq. ratione, vel cauſſa, vt quis non excuſetur, quoties aliorum facultates non ſuppetunt, à muneribus, dixit *Bald. conſ.* 406. *colu. pen. libr.* 5. quem allegat, & ſequitur *Surd. conſ.* 313. *num.* 97. qui conſuluit contra *Cephal. in conſ.* 451. in eadem cauſſa conſuluit *Roland. conſ.* 79. *&* 80. *libr.* 3. *& Decian. conſ.* 44. *vol.* 4. Roland. & Surd. fuerunt contrà communitatem Regij, Roland. firmat ſupradictam concluſionem *in conſ.* 89. *num.* 28. quod habens immunitatem cum ampliſsimis verbis conceſſam, non excuſa-

tur

tur àb onere ex improuiso, inopinatoq; casu imposito, & quando imminet tanta necessitas, cui per superiorem non potest prouideri, nisi etiam exemptis indicatur contributio, non consideratur exemptio, cum nulla concessio excludat publicam necessitatem, allegat *Bald.d.cons.406.vol 5.Curt.Iun.cons.61.nu.14.*

Necessitas in casu nostro satis constat ex notorio facti permanentis, quisque nostrum sua patitur mala, & ex assertione Regni in Comitijs generalibus, & sufficeret assertio ipsius Principis, cui credendum tùm de necessitate, tùm quod expedit Reipublicæ imponere vectigal, dixit *Alex. cons.216.vol. 2. col. 6.* quem refert, & sequitur *Afflict. in cap. 1. num. 71. qui success. ten.* vbi inquit, quod creditur Principi dicenti, in reuocatione priuilegiorum, quod illa reuocare, concernit publicam vtilitatem, *Roland. cons. 1. vol. 1. num. 58. & 84.* est solemne consilium in ista materia, & loquitur in contractu, & pacto, ideò opponi potest consilio Bolognetti primo, quod edidit pro Ciuitate Messanæ, ait Rolandus num. 172. quod pacta non sunt seruanda, quando insurgit necessitas, & periculum imminere publicum, si pacta obseruarentur, allegat *Bald.cons.240.vol.4.* in isto casu nullum priuilegium valet *l.1.C.de quib. mun. vel praest. lib.11.* quia si àb illis, quæ de iure procedunt, necessitas facit vt recedamus *l.1.ff.de offi.cons.l.1.C.de oper.liber.* fortius àb illis quæ sunt contrà ius commune, vt est hic dum prætenditur exemptio à muneribus, quæ secundum ius commune Messanenses subire tenentur,

vt

vt supradictum est, & loquendo de priuilegijs Principatus Cataloniæ, quæ amplissima sunt, & pro seruitijs & meritis ergà Coronā Domini Regis obtenta, non valere priuilegium, quod tempore necessitatis à muneribus eximeretur aliquis, dixit *Ioann. de Socarratis in consuetud. Catal. Rubr. vtrum Vaßallus teneatur sequi Dominum fol. mihi* 398. quod dicit verum, etiamsi adesset clausula, non obstante quacunq; lege, & licèt de voluntate Principis posit constare, voluisse priuilegium tempore necessitatis, locum sortiri, nihilominus nec iuuare dicit priuilegiatos, quia priuilegium caderet in periculum, & subuersionem Reipublicæ, allegat *l. interdum §. qui tutelam ff. de furt.* Item addit, quia istud priuilegium esset contra ius gentium impetratum, *l. veluti ff. de iust. & iur.* circa quod Imperator dispensare non potest, est quidem notabilis Doctrina ad tollendum dictum aliquorum Doctorum dicentium sufficere, fuisse cogitatum de necessitate, quod euenire dicunt per clausulas, non obstante.

Rursus idem Doctor ait in eodem loco citato nu. 95. fol. 381. quod stante magna necessitate nullum priuilegium valet immunitatis, quia tunc esset contrarium publicæ vtilitati: omne enim priuilegium quantumcunque generale alicui ad vtilitatem priuatam concessum, nunquam includit illud, quod publicæ vtilitati officeret, allegat *Din. in l. si ex toto. ff. de leg.* 1. Idem dicit esse, si pacto concessa fuisset immunitas. *Anton. sol. in const. Sabaud. de iur. emph. glos. 2. nu.* 23. plura allegat *Alex. Raud. in tract. de Analogis lib.* 1.

cap.

cap.22. qui loquitur in priuilegio titulo onerofo concesso.

Quinto supponimus priuilegium immunitatis ipso iure reuocatū dici, statim atque apparet iniquum; huiusmodi reputantur priuilegia Messanensium, nam ex immunitate illius Ciuitatis grauamen intolerabile toti Regno prouenit, quia si Messana non contribuit, vtique quod necessarium est pro salute publica, debet ab alijs Vniuersitatibus sustineri, vndè immunitatis priuilegium iniquum, & per consequens debet reuocari, fuit dictum, *Ioan. de Lignan. & post Card. tradit Abb. in cap. accedentes num. 8. & col. fin. & ibi Felin. num. 8. conclus. 3. de praescript. per tex. in cap. suggestum de decim.* vbi priuilegium immunitatis alicui concessum à solutione Decimarum, non est eo casu obseruandum, quo, post priuilegium exemptus tot bona acquisiuisset, pro quibus, si decimas non solueret, Ecclesia, vel alij nimium grauarentur, quod prosequitur *Dec. cons. 335.* vbi etiam addit, quod constito de tali iniquitate potest à quolibet inferiori reparari, *Idem Natt. in cons. 63. num. 419. Roland. d. cons. 1. num. 170. & seq. Rimin. Iun. cons. 25. nu. 45. & cons. 18. num. 67. Lancell. Gallia cons. 25. num. 40. Bellug. in speculo Principum rub. 35. §. post militares num. 12. De Ponte de potest. Proregis, tit. 5. num. 32. & num. 41.* ait, omnia priuilegia intelligi concessa, dummodo vtilitatem publicam non lædant, facit quod dicit *Abb. cons. 34. num. 15. & seq.* vbi inquit, quod quamuis contractus ab initio non contineat læsionem, si tamen ex post facto

propter

propter mutationem temporum enormem producat læsionem, rescindi posse, & debere regulari secundum qualitatem ipsorum temporum: pari modo exemptiones tendentes ad noxam, admittendas non esse inquit *Cardin. in clem. præsenti in fin. de censib.* quem sequitur *Rip. resp. 7. in 8. dub. in 1. par. & ideò dixit Bald. d. cons. 406. col. 2. vol. 5.* quòd quoties facultatès aliorum non suppetunt, vel cum magno scandalo ad collectas grauari videntur, etiam exempti ad contribuendum cum cæteris, non obstante eorum immunitate, tenentur, quod etiam voluit *Socc. in d. l. si ex toto in 3. col. ff. de leg. 1.* quem sequitur *Curt. Iun. cons. 61. num. 14.* hoc sequitur *Roland. à Valle cons. 1. num. 125. lib. 1.* Vndè ait ipse, quod licet immunitates à principio iustè concessæ dici possent, tamen ex quo ex post facto, & sic ex caussa superueniente, incipiunt grauiter lædere alios, qui reducti sint ad talem calamitatem, quod vix in eis superest spiritus precarius (sunt verba Rolandi, quæ satis Regno nostro applicari possunt) Princeps potest ab eis recedere, distribuendo onus super omnes, etiam exemptos, cum occasione immunitatis aliquorum, non sint cæteri grauandi, quod sequeretur, si munera publica distribuenda pluribus diuiderentur inter pauciores, & ideò dixit *Bald. d. cons. 406.* cauendum esse, nè onus, quod debet esse multorum, pauci portent, alijs sublleuatis; Ità succederet Ciuitati Messanæ, si exemptiones, & immunitates ei seruarentur, hoc est cautum prudentissimè in legibus Hispaniarum *part. 3. tit. 18.*

tit. 18. l. 43. glos. en daño de muchos dictant verba legis *otro si dezimos que si el Rey da priuileyo de donaçion a alguno en el aquella sazon en que fue dado no se tornaua en grande daño y despues aquellos aquien lo el Rey dio vsaren del en tal manera que se torne en daño de muchos comunemiente tal priuileyo como este dezimos que de la hora que començo a tomarse en dañe de muchos como deciamos que se pierde y no deue valer.* Quam legem concordare *cum cap. suggestum de decim.* dicit ibi *Lopez.* atque adeò efficax esse argumentum ex cap suggestum de decim. apparet, *vt Alex. Raud. cons. 54 nu. 71. lib. 1.* qui contrarium in casu suo consuluit, alio modo non potuerit respondere, nisi illud procedere, quando essent tanta onera, quod ad illa ferenda non immunes non essent idonei, affirmando, quod in casu nostro procedit, ità *Natt. cons. 525. num. 58. & cons. 63. nu. 19. 20 & cons. 63. num. 21.*

Sexto ponimus, Regalia non posse alienari in prçiudicium successorum, nec illa diminuere Reges, *Bald. in tit. de Pace const. in ver. successorum*, quem sequitur *Soccin. in cons. 4. vol. 3.* vbi inquit, quod non potest Prædecessor per suum contractum ligare successorem, quò minus posset regalia exercere, idem *Socc. cons. 7. col. 1. eod. vol.* hoc etiam voluit *Felin. in cap. 1. col. 4. vers. 4. declara, & ibi Dec. de probat.* idem *Felin. in cap. ad audientiam col. 2. de præscript. Neuizan inter cons. Brun. cons 12. col 13. Ias. in 2 lib. feud. col. 26. vers alij, & cons. 1. col. 3. in principio vol. 1.* adducit rationem, quia talis alienatio tendit in magnum præiudicium successorum, *& in cons. 227. col. 7. vers. alibi, Afflict. in*

cap.

cap. 1. num. 48. in fin. qui success. ten. vbi tradunt, quod vectigalia, collectæ, seu tributum, & alia, quæ sunt regalia, & de quibus *in cap. 1. quæ sint regalia, & per Bald. in cap. 1. in fin. Epis. vel Abbas* non potest, neque debet Rex alienare, sed ea tenentur successoribus reseruare: & ideò subdit, quod quinta, quæ debetur Regi de præda, quia est de regalibus, non potest Rex in perpetuum donare, *Roland. à Valle d cons. 1. num. 101. & seq.* multa adducit ad hoc, *& num. 228. Iser. in cap. imperialem vers. neque Dominus feudi,* quem allegat, & sequitur *Lopez part. 6. tit. 9. leg. 13. glos. sin mandado.*

Septimo ponimus, quod licet Princeps non possit reuocare priuilegium, quod transiuit in vim contractus, vt putà, si reperiatur concessum pecunia, vel ob remunerationem seruitiorum, ac etiam quod nec illud posit infringere de plenitudine potestatis, idq. procedat in priuilegio concesso subditis, cum contractus sint de iur. gentium, quod aliqua ratione immutari non potest §. *sed hæc naturalia instit. de iure natur. gent. & ciuil.* cum tunc Princeps vtatur iure priuati, & committeret dolum, essetq. Principi prohibitum commercium, & sexcenta absurda euenirent, vt ait *Bald. in l. Princeps in 1. lect. ff. de leg. in l. fin. C. de transact. in l. qui se Patris num. 34. C. vnd. liber. cap. 1. num. 17. de allod. in l. digna vox C. de legib. cap. 1. de probat. cap. nouit de iudic. in cap. quæ in Ecclesiarum de const. Ioann. Plat. in l. 1. de collat. libr. 10. Igneu. in l. donationes, quas Diuus num. 13. & 34. C. de donat. inter vir. & vxor. & cæteros, quos cumulat elegantissimè Dominus Carolus Tappia in l. fin. ff. de const. Princip. cap. 9. in princip* qui ait, hoc

procedere in successore Principis; tamen hanc conclusionem non habere locum in concessione regalium, vel aliorum iuriũ quotiescunque contineret magnam Regni diminutionem ex Doctorib. *in cap. intellecto de iureiuran.* & sexcentis alijs comprobat idem Dominus Tappia in loco præcitato num. 33. immò ipse arbitratur distinctionem illam de diminutione magna, vel parua Regni procedere in ipso Principe concedente: nam in successore posse indistinctè reuocare concessionem huiusmodi affirmat *sub num. 36. allegat Boss. tit. de regal. num. 34. & tit. de Principe in fin. Gregor. Lopez in l. pen. tit 15. par. 2. vers. qua munera, & l. 10. tit 1 par 3. vers. De a quel Rey* limitat principalem conclusionem in priuilegio exemptionis, sed ipsi non placet nu. 37. quam pro modo posthabeamus, & alias ad casum nostrum facientes commemoremus, quod successor non teneatur ratam habere concessionem iurium regalium factam per suos Prædecessores, *Folle. in prax. censual. in verb. submissionis num. 19. Andr. ab Exea de pact. nu. 456. vers. sublimitatur Rub. Alex. cons. 50. nu 7. Cacheran. decis. 139. num. 6. & 7. Marc. Anton. Peregr. de iur. fisc. lib. 1. tit. 3. n. 70. Ant. Gabr. tit. de iure quæsito non toll. conclus. 5. nu. 30. Ludouic. Rodulf. in tract. de sup. pot. prin. nu. 196.*

Limitat tertio loco Dominus Tappia non procedere, quando ex parte contrahentis cum Principe dolus interuenisset, allegat *(yn. & Bald. in l. digna vox. C. de leg. Iacob. in inuest. verb. an Princeps num. 1.* hanc limitationem in casu nostro procedere, dicemus, cum de vltima conuentione facta inter Regiam Curiam, &

Ciui-

Ciuitatem Meſſanæ verba faciemus, in qua demonſtrabimus dolum re ipſa interueniſſe ex parte Ciuitatis, idem dixit *Andr. àb exea de pact. num.* 456. *Ant. Gabr. de iur. quæſ. non tollen. concluſione* 5. *nu.* 45. *Rodolfin. de pot ſupr. num.* 202.

Hæc omnia magis firmat reſponſio, quam tradit Rauden. *conſ.* 1. *libr.* 2. *num.* 302. nam ibi ſcripſit contra Rolandum d. conſ. 1. & alio modo argumentum illud de alienatione Regalium euitare non valuit, niſi præſupponendo, quod non interuenerat immodica diminutio: item tractabatur de priuilegio conceſſo non ſubdito; dixi hanc reſponſionem magis confirmare concluſionem noſtram, quia nos verſamur in immodico damno, & diminutione Regij Patrimonij, & ſumus in priuilegijs conceſsis ſubdito.

Quarto loco limitat Dominus Tappia, cum contractus in præiudicium ſubditorum celebratus apparet, quibus inuitis, non poteſt fieri, allegat *capit.* 1. §. *præterea ducatus de prohibit. feud. alienat. per Feder. Hoſtien. Innoc. Butr. Imol. Felin. in cap. dilecti de maior. & obedien.* & alios mille, quam limitationem procedere in caſu noſtro contendimus, dum ſupra immunitates Ciuitatis Meſſanæ in præiudicium omnium Regnicolarum eſſe ſatis, ſuperq. compertum ſit, cum nimis grauentur in muneribus publicis, ex quo promanat iniquitas in iuſtitia diſtributiua, quod quidem damnum tùm in priuilegijs, tùm maximè in vltima conuentione, de qua inferius, videbimus, procedit.

Quinto loco ipſe limitat, vt non procedat ſubſiſtente

stente caussa, vt communiter scribunt *Doct.in cap.* 1.*de probat.Paul.Castr.in l.digna vox C.de leg.& Bald.in l.donationes C.de donat.inter vir. & vxor. Roman.cons.* 352. *num.* 14. *Alexan.cons.* 16.*num* 3.*libr.*3.*Dec.cons.* 339.*num.*2. & 3.*Ias. in cons.primo lib.* 1.*Ruyn cons.*21.*num.* 12.*lib.*1.*Osasch.decis.*90. *nu.*15.*Andr.Tiraquell de pen temper.in præfat.num.* 41. *Arias pinel.in l.*1.3.*par.num.*62. *col.* 14. *C. de bon. mat.* quæ caussa potest esse noua, vel antiqua, non tamèn præuisa tempore concessionis, debet respicere principaliter publicam vtilitatem, vt respondit *Menoch.cons.*156. *num.* 48.*Gregor.Lopez leg.*49.*tit.* 18.*par.*3. *vers. que pu eblan*: hinc Dominus Tappia infert, quod nos diximus de necessitate, quo tempore tenet, omnem immunitatem reuocandam esse, allegat *Ioann Plat.in l. cum te la seconda C. quemad.ciuil.mun.indict.libr.* 10. *Bellug. Rubr.* 39. §. *nouissimè num.*4.*Franc.Mar.decis.*458.*lib.*9 1.*par.Rip.in tract.de pest.de remed.præser.num* 184.*Roland.d.cons.*80.*num.* 16. *libr.*3. & facit satis ad rem nostram, quod asserit num. 46. quòd licèt nonnulli dicant caussam non præsumi in Principe, nec eius assertioni stãdum esse; nihilominus dicit in Regno Principi credendum esse asserenti de caussa, præhabita declaratione Consilij, donec probetur contrarium, cum iam casu in nostro habeamus probatam necessitatem ex assertione totius Regni in Colloquio generali congregati, *allegat Andr.de Yser. & Afflict in cap.* 1.*num.*15. & 28.*qui success.ten.Idem Ysern. in capit. vnico de contr.feud. apud pares termin. quem sequitur Mart.laud.tract.de cons.Princip.quæst.*21.*Alciat. de præsumptio.reg.*3.*præsumptio.*8.*num.*8.*Loffred. cons.*45. *num.* 19. *Capic.*

decis.

decis. 166.*num.*7.*Gramm.decis.* 105. *num.* 34. & *num.* 49 *ex Luc.de Penn.in l. vlt.num.*51.*vers.quæritur C.de locat. præd. ciuil.libr.*10.addimus *Rodolfin. in tract. de suprem. pot. Princip. num.*211.qui latè exagitat materiam, quando caussa præsumatur in Principe contra factum proprium, & contractum veniente, & non teneri Principem, antequam auferat rem, soluere æstimationem arbitratur: quod in casu nostro inquirere opus non habemus, cum, vt inferius discutiemus, nullum adfuerit pretium; quod sit restituendum Ciuitati.

Demùm octauo limitat Dominus Tappia, si data res in vim contractus perpetuam commensurationem cum re concessa non haberet, vt respondit *Rolan. à Vall.cons* 13.*num.* 12. *lib.* 3. atque secundum iuris regulam est, quod Princeps posſit ex caussa recedere à contractu, *est gloss.in l coiem ferro* §. 1. *in verb. non possunt ff. de public.* & *ibi Castr.in fin.Soccin cons.*86.*nu.*25.*vol* 4. *Andr. ab exea de pact sub num.*456.*vers.*2 *sublimitatur, Ant Gabr.de iur quæst.non tollen.conclus.*5.*num.*42. *Marc. Ant. Pereg de iur. fisc.lib.*1.*tit.*3.*num* 67 & *libr* 5.*tit.*2.*num.*49. *libr.*6 *tit.*1 *nu.* 13. *Menoch.de præsumpt præs.*10.*num.* 49. *lib.* 2. *Marquar. in tract.de Iudæis capit* 6 *num.*6.*in* 1 *part. quibus addimus Bess de Princip. num.*323. quam caussam adesse in casu nostro, quod sua Catholica Maiestas non teneatur ad obseruantiam nouiſsimæ conuentionis demonstrabimus.

Octauo ponimus, nullam facere difficultatem, si dixerint aliqui, hæc, quæ supra diximus, procedere in priuilegio in sui forma assumpto, secus tamen esse,

quando

quando versaremur in contractu, & Priuilegio, quod transiuerit in contractum, est quidem responsio Bolognetti *d. cons. 1. num.* 138. in qua nihil allegauit, & dixerat *Roland. à Vall. cons. 76. num. 23. libr. 2. & num. 26.* qui etiam nihil adduxit; quia his omnibus facilis est responsio, clarissimum namque est in iure, Priuilegium in terminis simplicis priuilegij concessum subdito ad nutum sine aliqua caussa posse à Principe reuocari, scripsit *Felin. in cap. nouit num. 10. vers. nunc transeo de iudic.* Dominus Tappia *in d. l. fin. ff. de const. Princip. cap. 9. num. 56 allegat Bald in l qui se Patris num. 34. C. vnd. liber.* quem sequitur *Ant. de Butr. Panor. Dec. in d. cap. nouit*, *idem Dec in cap quæ in Ecclesiarum num. 127. de Const. Martin. laud. tract. de priuil num. 34. Bellug rubr. 9 num. 28 Roman singul. 463. Afflict. in constit. cum concessiones 1. not. Rimin. Sen. cons 389. num. 9. Curt. iun. cons 1. num. 24. Purpurat. cons. 18. nu. 8. Paris. cons. 12. & cons. 5 num 87. lib 4. Afflict. decis 128. Capic. decis. 121. num. 16. & decis. 166. num. 1. Gramm. decis. 46. nu. 5. & voto 28 num. 19. Boss. de princip. num. 12.* & in priuilegio concesso subdito circa immunitatem dixit *Nicol. festas. tract. de æstim. & collett. par. 5 cap 1. nu. 20. Lancell. Conrad. in templ iud. §. 4. vers. octauò num. 1. & seq.* at hoc admisso, vana redderetur disputatio supradicta Doctorum, & labor in inuestigandis caussis iustis, quibus possit Princeps suum priuilegium reuocare, esset in cassum nam vnico verbo à tricis se expedirent Doctores, dicendo nempe non requiri caussam in reuocatione priuilegij, atque de iustitia caussæ non esset indagandum.

Secundo

Secundo respondetur, Doctores loqui in his terminis, & disputare conclusionem in priuilegijs, quæ transitum in contractum fecere, & in ipso contractu; nam, vt supra ostensum est, data caussa iusta, quam nos dicimus in præsenti casu, vrgentis necessitatis, quæ probatur, affirmant Doctores licere Principi a priuilegio immunitatis, & à contractu, quantumcunque habeant caussam onerosam ex parte priuilegiati, recedere: difficultas aliqualis fit in priuilegio concesso non subdito, in quo etiam multi posse ex caussa reuocari concesserunt, *prout Imol. dicit in c. cum M. Ferrariensis num. 7. de Constit. sequitur Felin. in cap. 1. num. 6. de probat. & in cap. nouit de iudic. num. 9. Roland. à Vall. cons. 1. num. 158. 1. vol.* at his opus non habemus, cum in priuilegijs concessis subditis versemur. Accedit, quod nec priuilegia immunitatis concessa ob benemerita dici onerosa, multi affirmant, quia gloss. communiter approbata *in l. sed etsi lege §. consuluit in ver. obligauerunt ff. de pet. hæred. Bart. in l. Mæuius §. duobus col. 8. vers. 2. quæro ff. de leg. 2.* tradunt huiusmodi priuilegia non censeri ex caussa onerosa, & Senatum Mediolanensem ità iudicasse testatur *Boss. tit. de Princip. num. 152.* Gratia, seu concessio onerosa illa dicitur, quæ fit recepto pretio, vel facto, quod habet perpetuam rei concessæ commensurationem, ità *Bald. in l. qui se Patris C. und. liber. col. antepen. sequitur Alex. cons. 216. col. 2. vol. 2. & dixit Boss. in dicto citato loco num. 323.* quod Senatus noluit admittere quoddam priuilegium in concessionem onerosam; eo quia dicebatur concessum

sum ob benemerita; nam dicit ipse, etiam legata, quæ fiunt ob benemerita, dicuntur lucratiua, secundum *Bart. in l. Mæuius §. duobus col. 8. vers. 2. quæro ff. de leg. 2.* huius dicti fundamentum est, quia ille, qui dat, & qui solum est obligatus ex naturali obligatione, cum benefacientibus benefacere debeamus, & caussa gratiosa, & lucratiua, non autem onerosa dare dicitur, est decisio *Bart. in d. §. duobus*, quod est secundum rationem, quia non potuisset cogi, argum. *l. Titius ff. de obseq. à liber. paren. & patron. præstan.*

His positis, facillimè ad priuilegia concedentia immunitatem Ciuitati Messanæ inueniri possunt responsiones. Ad priuilegium concessum à Republica Romana Anno ab Vrbe condita 483. App. Claudio, & Q. Fabio Consulibus, approbatum à Cn. Calatino Tribuno Plebis Rempublicam primo bello Punico turbāte (in hanc formam exhibetur in Scripturis Ciuitatis, & transcribitur à Fazell. de reb. Sicul. dec. 1. cap. 2. differt à relato à Bolognetto cons. 1. nu. 33. in anno, nam dicitur concessum anno ab vrbe condita 487.) Dicimus primo hoc priuilegio non fuisse immunitatem Ciuitati Messanæ a vectigalibus, & tributis concessam. Nàm priuilegium à lege, & iure communi excipit priuilegiatos; sed nemo quemquam lege soluere potest, nisi Princeps, qui eam tulit, quo fit, vt nec Princeps posit omnibus in vniuersum priuilegia dare, sed tantum hominibus suæ potestati, & ditioni subiectis. *Azor. instit. moral. lib. 5. cap. 22. tit. de priuil.* immunitatem concedit Princeps,

ceps, actusq. est maximi Imperij, vt supra positum est: at si tunc temporis Romani Siciliam non obtinuerant, frustrà ad immunitatem vsurpandam deducitur priuilegium illud; Romani namque Sicilia potiti sunt, post deuictam Italiam, & Carthaginienses primo bello Punico superatos, quod accidisse post annum ab vrbe condita 500. ex Historicis Monumentis colligit. *Sigon. de antiq. iur. prouin lib. 1. cap. 3.* ad immunitatem itaque allegari non potest istud priuilegium.

Secundo commentitium,& fictũ est: nam in tempore variãt scriptores neoterici. Fazell. refert Priuilegium, & transtulit sub anno 483. de reb. sicul. libr. 2. decade 1. capit. 2. Maurolic. in compend. Sicanar. rer. libr. 2. fol. 58. versa pagina in fin. ex Orosio dicit Coss. App. Clau. & Mar. Fulu. Flac. siue C. Fab. anno 490. (emendat in hoc Codicem Orosij; quia in priuilegio habetur de Q. Fabio, non de M. Fuluio,) & paullo post fol. 59. referẽs dicta Orosij hæc habet, Anno àb vrbe condita 483. Appio Claudio, Quintoq. Fabio Consulibus, Bonfil. in Histor. Sicul. libr. 4. fol. 311. priuilegium datum sub anno 443. renuntiat Bolognett. in suo cons. 1. num. 33. sub anno 487. adeòut inter se non benè conueniant priuilegij transcriptores: euenit hoc, quia per rectam non incesserunt semitam, sed Messanenses quod tempus velint eligant, atq. eis detur optio, nusquàm inuenient Consules App. Claudium, & Q. Fabium, maxima profectò scribentium incuria: in App. enim Claudio

latum habuerant, quidquid maluissent, confingendi campum: nam sexdecim vicibus nomen App. Claudij Romanorum fastis annotatum reperitur, àb vrbe condita anno 303. 351. 406. 331. 457. 447. 485. 505. 474. 489. 542. 569. 611. 624. 675. 700. 716. hoc patet ex Cronologia Glareani, quæ legitur impressa post Titum Liu. Typis Ioann. Frellon. Lugduni 1553. cum qua nemo scriptorum Messanensium tempora sua concordauit: in anno etenim 483. Consules fuere C. Genutius Clepsina, Cn. Cornelius Asina, anno 490. M. Valerius Maximus, M. Octacilius Crassus Messala, anno 487. M. Fabius Pictor, Decius Iunius Pera, anno 443. M. Valerius Maximus, P. Decius Mus. habemus ex hac temporum obseruatione exclusionem consulum in priuilegio Messanensium annotatorum, atque aliorum inclusionem.

Tertio spuria videtur historia renunciata in priuilegio Appij Claudij, quod vt pateat, transcribamus verba Priuilegij, & Polybij, habet priuilegium.

S.P.Q.R. APPIO CLAVDIO, ET QVINTO FABIO CONSVLIBVS, ALTERO MESSANAM SICILIAE CIVITATEM CLASSE PROFECTO RESERANTE PERCEPIT, HIERONEM SYRACVSANVM REGEM, POENORVMQ. COPIAS HIERONI CONIVNCTAS, TAM CELERITER SVPERAVIT, VT APPIVM CLAVDIVM CONSVLEM AD HANC REM GERENDAM POTIVS CIVITAS SVAE VIRTVTIS ADMIRATOREM, QVAM BELLI

SV-

SVSCIPERET ADIVTOREM, POENIQ. VRBIS, NON TAM MVLTITVDINE, QVAM ANIMOSA NOBILITATE PROPVLSI, VICTOS PRIVS, QVAM SESE DIDICERE CONGRESSOS. QVI ANTE CONSVLIS ADVENTVM, VLTRA LEONTINVM PROFVGI PACEM EXPOSCENTES, ROMANORVM GLORIA, MESSANENSIVM VIRTVTE, PROPRIAQ. MVLCTA CENTVM TALENTA AERARIO SOLVENDA SVPPLICES IMPETRARVNT. OB QVOD STATVIT VRBEM IPSAM TITVLO NOBILITATIS EXTOLLI, ALIISQ. PROVINCIAE CIVITATIBVS, SACERDOTES, EIVSQ. CIVES ROMANORVM HONORE SICILIAE CAPVT, ILLIC FVNGI POTESTATE ROMANA, LAPIDEM EIVS A LEONTINO VSQ. AD PACTAS EXTENDI, NAM ID SPATIVM, CAETERISQ. DEFICIENTIBVS, ROMANAE DITIONI SERVAVIT CHIROGRAPHVM HOC FASTIS ROMANIS ADIVNCTVM LAVDEM CIVITATIS OSTENTANS ASCRIBI, ROMANAMQ. GRATITVDINEM MERITO RESPONDERE APPROBATVM EST PRAESENS DECRETVM PATRVM A CN. COLLATINO PLEBIS TRIBVNO POST VRBEM CONDITAM ANNO CCCCXLIII. SECVNDVM BONFILIVM, ANNO CCCCXC. SECVNDVM OROSIVM CITATVM A MAVROLICO, ANNO CCCCLXXXIII. SECVNDVM MAVROLICVM, ET ARCHIVIVM MESSANAE, ANNO CCCCLXXXVII. SECVNDVM BOLOGNETTVM.

Audiamus modò Polybium lib. 1. Histor. num. 3. Postquam Romani diù inter se quid faciendum dubita-

bitauerint, nimirum nùm Mamertinis suppetias aduersus Hieronem præstare debuissent, perabsurdum enim putabant, ijs auxiliari, qui eiusdem criminis esse rei videbantur, cuius pœnam à suis militibus Rhegium occupantibus exegerant. Verumtamèn cum Carthaginienses perhorrerēt periculosam arbitrantes illorum finitimam vicinitatem, seruare Messanam, omninò necessarium esse iudicarunt, inquit Polybius, *diù tamen hæc res in Senatu agitata, tandemq; cum iuuare Mamertinos turpius esset, quàm commodius, ob patrata scelera videretur, rem infectam Senatus dimisit. At cum plebs prædictis bellis attrita, iam quiete aliqua egere videretur, & simul ostendentibus Ducibus vtilitatem, & commodum, quod ex re prouenire poterat, præstandum Mamertinis subsidium iudicauit, atque ea sententia per plebem confirmata confestim alterum ex consulibus Appium Claudium traducere in Siciliam exercitum, & Mamertinis ferre suppetias iubent. Mamertini verò Carthaginiensium iam Præfecto, quem superius positum in arce diximus, partim terrore, partim dolo ex Vrbe eiecto, Appium Claudium ad se vocant, Ciuitatem in eius manibus ponunt. Carthaginienses Præfectum præsidij, quod formidine simul atque ignauia arcem amisisset, cruci affigunt, ac repentè terra, mariq. coactis copijs, classe, quæ circa Pelorum posita terrestribus verò copijs circa Senes sic dictas Castrametati, Messanam diligentissimè obsident. Intereà temporis Hieron oblatam sibi opportunitatem ratus ad expellendos, fugandosq; è Sicilia Barbaros, qui Messanam tenebant, percusso cum Carthaginiensibus fœdere Syracusis egressus, aduersus dictam Ciuitatem expeditionem facit: positisq. ad aliam partem Castris iuxtà montem, quem Calcidicum vocant, eum quoque*

exitum

exitum Mamertinis abstulit, At Consul Romanus per noctem non sine periculo, traiecto freto, Messanam peruenit, cumq. hostes cerneret acriter vndique Vrbem prementes, quippe qui non modò terra, verum etiam mari potentiores erant, obsidionem sibi partim turpem, partim periculosam ratus, primùm legatis ad vtrumq. missis, an bello liberare Mamertinos, rebus pace compositis, valeret, experiri voluit. Sed cum neuter hostium Consuli præberet aures, tandem coactus subire periculum, decernere primùm cum Syracusanis statuit, igitur copias educit, & acies struit, nec Syracusanorum Rex certaminis moram facit, diù, acriterq. pugnatur, tandem victoria penes Romanos fuit, qui etiam hostes vniuersos vsque in castra persequuti sunt, & cætera. Ex Polybio itaque Messanenses obsidione mari, terraq; opprimebantur, Romani pugnam commiserunt, hostemq. profligarunt, ne dum Hieronis copias, verùm etiam Pœnorum dissipantes, & in priuilegio Appium Claudium Messanam suæ virtutis admiratorem, non adiutorem habuisse renuntiatur.

Quarto rursus demonstratur repetita die conflatum priuilegium, illa verba hoc ipsum innuunt, *A Leontino vsque ad Pactas*, nomen Pactæ, siue Pactarum, illo in tempore auditũ ne fuerat quidem, cum Fazellus Historiarum monumentis retulerit de reb. Sicul. decad. 1. libr. 9. cap. 6. *Vrbs Pacta flexuoso sinu à mari quingentos circiter passus recedens post Calaua Promotorium succedit. Cuius cum nullus veterum meminerit, neque nominis ratio tradita sit prima eius memoria ad annum salutis 1094. mihi occurrit* sed quidquid dicat Fazellus, relinquamus. Accedat Ptolomæus Princeps Geographiæ, is tempore

pore Antonini Pij vixit, vt annotat Mercator ad Ptolomæi Geographiam, & Antoninus Romæ imperauit anno àb vrbe condita 891. & salutis anno 141. tradit Haloandrus in sua Cronologia, is Ptolomæus tab.7. Europæ, quæ continet Siciliam, nullam commemorationem de Ciuitate Pactæ, siue Pactarum habuit, & cum in occidentalis lateris descriptione annotauerit Tyndariũ, & Tymethi fluuij ostia, inter quæ duo loca sita est hodiè Ciuitas Pactæ, non est credendum oblitum fuisse Ciuitatis, dùm loca viciniora, & finitima renuntiauit.

Quinto priuilegium Appij Claudij damnant verba illa *Primo bello Punico turbante Rempublicam*, cum bellum illud initium habuerit secundum Polybium, olympiade centesima vigesima nona, quod fuit anno 489. àb vrbe condita secundum Dionysium Halicarn. anno tertio centesimæ vigesimæ octauæ olympiados, quod incidit anno 487. àb vrbe condita: iuxtà tempora] Polybij fuere Coss. App. Claudius, Pulcher Caudex, & Q. Fuluius, & iuxtà tempora Dionysij Coss. M. Fab. Pictor, & Dec. Iunius Pera, annotat Glareanus in sua Cronologia.

Sextò arguit euidenter priuilegium adulterinum diuersitas eloquutionis, & scribendi ratio, qua Romani tunc temporis vtebantur, conferatur propterea priuilegij inscriptio cum alia, quæ in basi columnæ rostratæ bello primo Punico in Capitolio Romæ videbatur, eodem quidem tempore conditi priuilegij, & liquidò apparebit id, quod probare hic desi-

desideramus: sed quia præ manibus vulgatam illam inscriptionem non habent omnes, hic transcribere, prout Iustus Lipsius ad historiam è Polybio Zonara, alijsq; concinnauit, opportunum esse duximus.

SEGEST. ANOS SOCIOS ET COGNATOS
POPVLI R.
OBSIDIONE D. EXEMET. LECIONES.
CARTACINIENSEIS.
MAXIMOSQVE MACESTRATOS. LVCEIS
BOVEBOVS AMISEIS.
NOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MA-
CELAM OPIDVM
PVCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM.
MACESTRATOD BENE
REM. NAVEBOVS. MARID. CONSOL. PRI-
MOS. CESET.
CLASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET.
PARAVETQVE
CVMQVE. EIS. NAVEBOVS. CLASES. POE-
NICAS. OMNEIS, PARATIS
SVMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRAE-
SENTED. MAXIMOD.
DICTATORED. OLOROM. IN. ALTOD.
MARID. PVCNANDOD. VICET.
TRICINTAQVE. NAVES. CEPET. CVM.
SOCIEIS. SEPTEMREMOSQ.
QVINQVEREMOSQVE. TRIREMOSQVE
NAVEIS. XX. DEPRESET,
AVROM. CAPTOM. NVMEI.
ARGENTOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI.

In illa prisca ratione scribendi, loquendiq. seruabatur, vt D. littera adderetur in fine post vocalem, lit-

tera C. perpetuò pro G. hac ſcilicet litteria non dum inuenta. O. pro. V. vt Maceſtratos, conſol. E. pro I. crebro, vt, cepet, pro, cepit, nauebous pro, nauibus; conſonantes nunquam geminatas inuenimus, vt Claſeis, numei trireſmos; reliqua patent in inſcriptione. Inſcriptionem columnæ roſtratæ tranſcribunt vetuſtate corroſam Ianus, Gruterus, Ioſeph Scaligerus, & Marcus Velſerus in Codice, quem inſcripſerunt, inſcriptiones antiquæ totius orbis Romani typis officinæ Commellianæ anno 1602. pag. 406. atque eamdem reſtitutam à Iuſto Lipſio adiunxerunt, poterunt etiam lectores conſulere Ciaconium, & Vrſinum. Patet itaque diuerſitas rationis ſcribendi illius tempeſtatis à litteris, & ſcribendi formula, quibus effictum, & exaratum exhibetur Meſſanenſium priuilegium.

Septimo ab authoritate ſupradictorum Iani, Gruteri, Ioſephi Scaligeri, & Marci Velſeri id ipſum, quod intendimus de priuilegio, comprobatur; ij etenim in ſupradicto Codice, abſoluto opere, vt labris omnibus ſuæ eſſent lactucæ, farraginem, quam Senatus Criticus ſententiæ melioris, merito ſuſpicatur ſpurias, adulterinas, ſuppoſititias, fictitias, & quid non? annexerunt, inter quas non vulgarem locum tribus Meſſanenſium priuilegijs tribuerunt; nam in apice octauæ paginæ legere valebunt omnes titulum, his verbis, MESSANÆ INSVLÆ SICILIÆ, & indè ad litteram priuilegium, Spheod. App. Claud. ad litteram, prout exhibent

Meſſa-

Messanenses, eorumq. neoterici historici promunt, quo absoluto, alia se offert inscriptio MESSANÆ, & posteà aliud priuilegiū. S. P. Q. R. S. FVLV. FLAC. P. CALF. & cetera; tertio loco alia sequitur. MESSANÆ IN SICILIA. S. P. Q. R. SER. FVL. P. CALPH. PISONE CONSS. in quo habetur de vectigali fixo, mobiliq. Hæc tria priuilegia testimonio istorum trium Virorum antiquitatis diligentissimè scrutantium spuria, & adulterina demonstrantur; sunt quidem Viri eruditissimi, atque omni exceptione maiores, nullamq. illis posse inferri suspicionis notā credimus, sūt alienigenæ, veritatis historię amatores, nec aliquid cōmodi, siue dāni in hoc habēt, adeòut nesciamus profectò quid eis à Messanēsibus sit obiectandū.

Priuilegio Ser. Ful. Flac. & P. Calphur. Pison. vltrà supradictum testimonium, alia impingenda arbitramur. Datum est priuilegium Anno 420. ab vrbe condita supradictis Coss. At isto in tempore Coss. fuerè P. Scipio Africanus, Aemilianus, & C. Ful. Flacc. vt annotat Glareanus in sua Cronologia.

Secundo dicitur in isto priuilegio, *bello seruili turbante Rempublicam*, ast duobus bellis seruilibus Siciliam conflictatam fuisse comperitur, Primo àb Euno quodam Syro, & Cleone seruis excitato, quod P. Rupilius Consul anno 631. àb Vrbe condita confecit: altero bello, quod àb Athemone seruo commotum, à M. Aquilio Consule anno 652. àb vrbe condita fuit absolutum, de hoc bello meminit Cicero in Verrem

inquiens, *post bellum, quod M. Aquilius confecit, nullum fugitiuorum in Sicilia bellum fuit* : & rursus *post M. Aquilium omnium Prætorum instituta, atque edicta fuerunt, ne quis cum telo seruus esset.* Hæc Sigon. de antiq. iur. Prouin. cap. 3.

Hæc satis commentitia reddunt supradicta Romanorum priuilegia; multa alia possemus adducere, sed quia præsens occasio aliquid amplius non expostulat, sub silentio inuoluenda ea duximus perpetuo. Deus scit quantum in nobis displicentiæ contulerit hæc pauca in medium proposuisse, munus, quo fungimur, nos inuitos ad hæc perduxit. Sed concessis veris, Romani postmodum immunitatem huiusmodi Messanensibus minimè obseruarunt, fortè quia Ciuitas illa defecisset: nam in historicis monumentis habetur Valerium Corbinum ad eam recipiendam missum, qua deuicta, nomen Messanæ assecutum fuisse, indèq. vulgo permutante littera N. in L. Messalã dictum, vt author est Gelius, & Crinit. lib. 1. cap. 12. Macrob. quem refert Fazell. de reb. Sicul. decad. 1. cap. 2. sed quidquid fuerit in caussa, ex Cicerone in Verrem habemus amplssima testimonia Messanam sub imperio Reipublicæ Romanæ haud quidem fuisse immunem, Sigon. supra citat. loco de vectig. in prouincia Siciliæ indictis; ex Cicerone orat. 8. lib. 3. quæ inscribitur, oratio Frumentaria in Verrem hæc habet. *Inter Siciliam, ceterasq. Prouincias in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quod certeris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, vt Hispanis, & plerisq. Pœnorum, quasi victoria premium, ac pæna belli: aut*

censoria

censoria locatio constituta est, vt Asia lege Sempronia, Siciliæ Ciuitates sic in amicitiam, fidemq; recepimus, vt eodem iure essent, quo fuissent, eadem conditione Populo Romano parerent, quamuis anteà paruissent, per pauca Siciliæ Ciuitates sunt bello à maioribus nostris subactæ, quarum ager cùm esset publicus Populi Romani factus, tamen illis est redditus, fœderatæ Ciuitates, ac liberæ Halesina, Segestana, Alicensis, Panhormitana, Præterea omnis ager Siciliæ Ciuitatum decumanus est. Itemq. antè Imperium Populi Romani ipsorum Siculorum voluntate, ac institutis fuit. Ex his verbis liquet, inter Ciuitates liberas, & fœderatas non annumeratam Messanam. Rursus Cicero accusat Verrem, quod Mamertinæ Ciuitati nihil horum imperasset, quæ Taurominitatæ Ciuitati indixerat, inquiens; *quid si eiusmodi esse hæc duo fœdera duorum Populorum doceo, vt Taurominitanis nominatim cautum, & exceptum sit fœdere, nè nauem dare debeant Mamertinis, in ipso fœdere sanctum, & scriptum sit, vt nauem dare necesse sit, istud autem contra fœdus, & Taurominitanis imperasse, & Mamertinis remisisse: &* paullo post, *at non hoc solũ assequuti Mamertini, nè nauem darent, ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in præsidio esset, te Prætore, per triennium Mamertini dederunt.* Ex his verbis duo colligimus, Primum Messanam Ciuitatem à muneribus patrimonialibus haud immunem esse, cum nauem dare cogeretur; Alterum Ciuitatem illam non liberam, sed fœderatam dici. Aderat differentia inter fœderatas, & liberas Ciuitates; nam fœderatæ aliquid ex fœdere Populo Romano pendebant, liberæ omninò nihil. Et propterea audiuimus Ciceronem vocare Ciuitatem

Hale-

Halesinam, Segestanam, & cæteras fœderatas simul & liberas, supra dixerat Tauromenium, & Messanam Ciuitates fœderatas. Hactenus de Romanis, deueniamus ad Græcos.

Priuilegium Arcadij satis, superque euertere possumus ex his; illud enim iuxta exemplar, quod transcribit Bonfilius in sua Historia Messanensi lib.4.fol. 148.cuius etiam meminit Maurolicus lib.5.comp.rerum Sican.fol.184.apparet commentitium: nam incipit, ARCADIVS SANCTAE BRACHIO TRINITATIS, IN ORBE MONARCHA, & tamen Arcadius dici non poterat Monarcha in Orbe; nam Theodosius Imperator Arcadium, & Honorium, quos ex Flacilla susceperat filios in Imperij socios asciuit, indeq. moriens Arcadio Orientale Imperium, Honorio Occidentale reliquit, decretisq. tutoribus, scilicet, Arcadio, Ruffino, & Honorio, Stilicone, testantur hoc Historici, inter quos Carolus Sigonius de Occidentali Imperio libr.10.in Honorio.

Secundo Priuilegiũ datũ anno salutis 407.qui fuit penultimus vitæ Arcadij, vt tradit Sigonius in Honorio, & Constantino dicunt: indigenæ tamen Historiographi, initio Imperij Arcadij, & statim post mortem Theodosij, quæ successit anno 395.salutis, confingunt narrationem: à morte vero Theodosij, vsque ad tempus Priuilegij anni 12.fluxerunt.

Tertio narratur in priuilegio, Bulgaros rebellionem aduersus Arcadium mouisse: sed scribit Sigonius

nius

nius lib.xv. de occidentali Imperio in Odoacro Rege f.260. anno 490. salutis Theodoricum Bulgaros debellasse: ait enim, *nam vno prælio Transillam, altero Bulgaros strauit, gentem nouam, atque ex Scythia paullò ante profectam.*

Quarto habetur in priuilegio, suppetias à Siculis Arcadium non implorasse, eo quia àb Agarenis molestarentur: at illo tempore Sicilia Agarenos, qui ijdem sunt, qui Saraceni, non nouerat, Agarenos scilicet deindè Saracenos vocatos, cum non amplius àb Agar serua, sed à Sarra Domina nomenclaturam maluerint: Marquard. de Iudæis par. 1. cap. 1. nu. 15. Saraceni siquidem non prius vastarunt Siciliam, quàm fuerit annus salutis 669. tempore Deodati primi Romani Pōtificis, Baronius testatur in Annalib. in Deodato Pontifice volu. 8. fol. 373. licèt ipse tempore Vitaliani, hoc accidisse verius credat cum Paullo Diacono libr. 5. cap. 13. Vitalianus sedit anno 657. vt testatur Platina in Summis Pontificibus. Fazellus refert, Saracenos, Constantio Imperatore, àb Alexandria soluisse, & postmodum in Siciliam transfretasse: at si tempus, quo Saraceni Siciliam adepti fuerint, considerabimus secundum Bonfilium in sua Historia libr. 1. fol. 56. & Maurolic. libr. 3. fol. 87. versa pagina, erit annus 822. satis post priuilegium Arcadij.

Quinto aduersus priuilegium Arcadij consideramus, diuisum fuisse Imperium inter Arcadium, & Honorium Theodosij filios, vt supra tetigi-

mus,

mus, Arcadio Imperium Orientale, Honorio occidentalè in portionem tetigisse, Honorio Siciliam ex illa diuisione tributam, cum ea sub Occidentali Imperio fuerit reputata: patet hoc ex Notitia Imperij Occidentalis, quæ sub dispositione viri spectabilis Vicarij Vrbis Romæ, inter consulares annotauit Siciliam, & Guido pandarol. in comm. illius Notitiæ cap. 53. Siciliam dicit Italiæ partem ex Vlpiano in l. insulæ ff. de Iudic. l. notionem §. 1. ff. de verb. signif. & propterea Sicilia, vt pars occidentalis Imperij, àb Odoacro Vandalis, & Gothis fuit occupata, & non prius restituta, quàm sub Iustiniano Imperatore.

Priuilegium Rogerij verius non est tribus alijs iàm relatis: plura enim dici possent, sed nobis sufficiet spuriam ostendere historiam caussam priuilegio dantem: tantum enim abest, vt Messanenses Rogerium Comitem in receptione Regni adiuuerint, vt coactus fuerit vi, & bello eosdem expugnare: sit in hoc testis Historicus, qui historiam iussu ipsiusmet Rogerij conscripsit, & is est Gaufredus Monachus de Malaterra, scripsit de rebus gestis Roberti, Viscardi, & Rogerij fratris, lib. 2. de ingressu Rogerij Comitis in Regnum verba faciens ait: *Huius Vrbis Ciues, quorum plurima multitudo erat, hostes suos fines peruasisse cognoscentes, plurimum indignati, maxime quod paucos numero videbant, Vrbis portas maximo impetu prosilientes, ipsos occupatum vadunt. Porro Comes, vt semper astutissimus, & militiæ callens, primo timore simulato cum eos longius àb Vrbe seduxisset, impetu facto, acerrimè super eos irruens, in fugam vertit. Sicq;*

extremos

extremos quosque cadendo, vsque in portam Ciuitatis, longo reditu fugientibus visus odibilis comminator, reduxit. Spolijs itaque, & equis illorum, quos deiecerat, acceptis, naues suas ingressus, Rhegium remeat ad Ducem fratrem suum. Et paullo post nu. 6. ait: *Porro Messanenses putantes iam, quibusdam naues ingressis, se illos, quasi semipartitos posse facilius occupare, equitatu, & peditatu omnes Vrbe egressi, inuadere vadunt. Verum quia ventus contrarius erat, nullus armatorum naues intrauerat. Comes vero cognoscens eos versum se aduentare, Serlonem nepotem suum, videlicet Serlonis fratris sui filium, cuius superius in fine primi libri mentionem fecimus, ne si fugere, sicut, & fecerunt, vellent, liberius possent, sic præmissum, ipse velocius subsecutus, dum fugere nituntur, ita intercepit, vt vix ex tanta multitudine euaserit. Messanensibus suorum vulnera flentibus, Comes penes Ciuitatem transiens, in Insula Sancti Hyacinthi, haud longe ab Vrbe, hospitatum vadit: Summoq. diluculo Messanam, quasi viribus exhaustam oppugnare vadit. Sed Messanensibus, quamuis paucis, qui adhuc supererant, cum ipsis mulieribus armatis, turres, & propugnacula, seseq. certatim, vt pro vita, defendentibus, Comes, ne Sicilia tali facto excitata super eum irruat, ad tentoria sua rediens, de transitu versus Rhegium tractare cœpit.* Et paullo post sub nu. 10. *Rhegium præmissis nauibus ipse Comes cum trecentis militibus subsecutus: vt semper militia præsumptuosus, & magnarum rerum attentator, mare incautus hostibus impunè transiens, ad locum, qui communiter Monasterium dicitur, applicuit: nauesq. remittens, ne forte aliquis suorum ad illas refugeret, Messanam oppugnatum vadit, quam inermem inueniens, nam iamdudum defensores eius peremerat, vrbe capta, turres, & propugnacula eius diruit: quos inuenerunt interfectis, quibusdam vero ad Panhormi-*

tanas naues transfugientibus, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo. Historia hæc typis tradita est, Cæsaraugustæ, in officina Dominici à Portonarijs de Vrsinis, anno 1587. Istius testimonio oculato magis credendum iudicamus, quàm alijs, qui confictam habent narrationem de vocatione Rogerij per Messanenses facta.

Priuilegium Henrici VI. non habet de vniuersis muneribus patrimonialibus, item & deficiunt clausulæ supradictæ.

Priuilegium Regis Iacobi habet tantùm clausulam, consuetudine, & constitutione aliqua contraria non obstante, quam supra in præmissis non sufficere diximus.

Priuilegium Regis Federici nec habet supradictas clausulas, tantum dicitur, non obstantibus Constitutionibus Regis Iacobi, quæ non sufficit.

Priuilegium Regis Ludouici desiderat supradictas clausulas, quemadmodum & Priuilegium Regis Federici Quarti; in isto etiam deficiunt Priuilegia Reginæ Ioannæ, & Regis Ioannis, & cæterorum Regum.

Quoad alia priuilegia confirmatoria aliorum Regum, dicimus nihil de nouo tribuere, nec aliquid roboris addere: nec confirmata extendunt, dixit *Bald. in l. nominationis C. de appellat. versi. illud certum est, laid Doct. & Dec. in rubr. de confirm. vtil. vel inutil.* nec ratificatio extendit actum, vt plus contineat: *Soccin. cons. 159. col. pen circa finem*; nam confirmatio in forma communi

ni fit, quando sine caussæ cognitione confirmatur aliquod priuilegium, quæ propterea nihil dat, & tribuit, nec validum, si fortè à principio fuerit nullum, redditur: *Boß. de Princip. num. 348. & num 356.*

In Vniuersum omnibus respondetur, quantumcunque Priuilegia loquerentur de muneribus patrimonialibus, & de quibuscunque alijs muneribus, atque adessent clausulæ, de quibus supra commemorationem habuimus, nihilominus intentioni suæ Catholicæ Maiestatis minimè obessent, cum oppugnata videantur àb argumentationibus, quas in tertio præmisso recensuimus. Et maximè subsistente tàm maxima necessitate, quæ non solum priuilegia ad vtilitatem priuatorum concessa, verum etiam & omnia iura naturalia, & humana subuertit, de qua habuimus in dicto fundamento. Iterum nec essent obseruanda, cum tempus ea iniqua, & contra omnem iustitiam distributiuam demonstrauerit. Rursus nec Ciuitatem Messanæ iuuat priuilegia illa transiuisse in contractum; nam & satis responsum credimus, nimirum priuilegia concessa ob benememerita haud in vim contractus transire. Insuper dato, & cōcesso, quod talia reputarentur, vtique accedente iusta caussa, posse Principem illa reuocare demonstrauimus. Diximus etiam successorem ad obseruantiam Priuilegiorum, quæ concederent iura Regalia, vel ea minuerent in detrimentum, & perniciem totius Regni, minime teneri. Et propterea iure, ac merito potuisse Illustrissimum, & Excellentissimum

Ducem Ossunæ nomine suæ Catholicæ Maiestatis Vectigal in casu tàm grandis necessitatis, & ob publicam vtilitatem, at que salutem totius Regni indicere, non obstantibus priuilegijs a Regibus prædecessoribus concessis, a sua Catholica Maiestate non confirmatis, contendimus. Hæc sufficerent profecto ad eneruandas omnes oppositiones a Messanensibus huc vsque excogitatas, velint, nolint, hoc fateri oportet, Regi a vassallis præstanda esse obsequia, minimeq. decere Regnum totum periclitari, & eorum Priuilegia obseruari.

Persuasum enim habere debent temporum conditionibus omnia deseruire, & quamlibet dispositionem interpretandam esse, rebus sic stantibus, & in eodem statu permanentibus: *l. quod Seruius cum ibi notatis, ff. de condit. ob caus.* non autem mutatis: *cap. non debet de consang. & affinit. cap. quemadmodum de iureiur. l. si conuenerit ff. pro soc. l. cum quis in principio, & l. si cum Cornelius ff. de solut. l. quæro §. inter locatorem ff. locat.* quod procedit in contractibus per supradicta iura: in vltimà voluntate sunt text. *in l. Paulo Callimacho. §. 1. ff. de leg. 3. l. Mauia. §. fin. ff. de ann. leg. l. in confirmando, & l. vtilitatem. ff. de constitut. l. ex facto in principio ff. de vulg. & pupill. ponit Bart. in l. quoties. §. si duo col. fin. ff. de hæred. instit.* Idem dicendum in priuilegio, *d. cap. suggestum de decim.* Idem in iuramento, *l. fin. ff. qui satisd. cogant. cap. cum inter P. de renunciat. cap. breui & cap. quemadmodum de iureiuran.* nec iurans dicetur periurus iuramento contrauenien s, quia rebus mutatis authoritate legis viribus euacuatur iuramentum, *l. fin. ff. ad*

muncip.

muncip. quandoquidem iuramentum in se continet plures conditiones, *l fin. C. de non num. pec.* & inter alias, conditionem illam, rebus sic stantibus, & in eodem statu permanentibus, *gloss. in d. cap. quemadmodum*; hinc videmus, si post contractum superueniat noua caussa inopiæ, & suspicionis fugæ, debitorem de iure ciuili posse capi, & carceribus mancipari, *l. ait Prætor. §. si quis debitorem ff. de his, quæ in fraud. credit. & ibi Bart. l. si ventri. ff. de priuileg. cred.* nec iuramẽtum se extendit ad caussam superuenientem de nouo, nisi dumtaxat subsistentem in tempore contractus, *Imol. in cap. cum contingat de iureiur. Ancharan. q. 8. lib. 2. Franc. Marc. decis. 503. lib. 2. num. 5. & seq.* quod in omni dispositione procedit. *Doct. in d. l. quod Seruius Crauett. cons. 95. num. 4. Boer. q. 204. num. 25. 26. Tiraquell. in l si vnquam in præfat. num. 130. & 166. C. de reuoc. donat.* Et licet Doctores dicant conclusionem huiusmodi procedere, quando de caussa noua non fuerit cogitatum, nec cognitum, vt per *Menoch. cons. 156. num. 32. Osasch. decis. pedamont. 91. num. 15.* attamen in casu nostro hoc procedere non posse, cum non fuisse cogitatum, nec potuisse cogitari de tam grandi necessitate, in qua in præsenti nos versamur, euiden ter appareat. *Anchar. cons. 84. Dec. cons. 353. Bald. & Roman. in l. si verò §. de viro sol. matr. Tiraquell. tract. cessan. caus. ver. immunitatis num. 117.* Et in specie nostra dixit *Roland. d. cons. 1. nu. 158.* quod argumentum licèt retorqueat *Raudens. d. cons. 1. nnm. 325. libr. 2.* cum suo in casu non adesset mutatio temporis, ideo omnia à nobis superius dicta confirmat. Ast respectu priuilegiorum, aliud accidit, nam

nam cum melioris conditionis non ſint cenſenda, quàm ſint leges vniuerſales; reſpiciunt enim hæc bonum totius humanæ ſocietatis, illa verò priuatorum commoda coniectant: quemadmodum leges abrogantur, mutata forma regiminis; ità dicendum ſit, priuilegia eſſe mutanda, abroganda, & moderanda, ſi quidquam tale forma Reipublicæ expoſcat. Fortè priuilegia Meſſanenſium rationabilia, Romanorum ſtante Republica, videri poterant; ſic etiam tempore Regum Siciliæ, qui varijs aliquandò conflictati calamitatibus, tempori deſeruire perſuaſum habebant, quæ eadem, Rege Noſtro inuictiſsimo, ac potentiſsimo regnante, irrationabilia, & noxia prorſus quieti, & tranquillitati Regni videantur. Experientia paſsim docemur, priuilegia indiſcreta ſæpius rectæ adminiſtrationi præbuiſſe impedimenta, & vt vno verbo rem abſoluamus, vniuerſam prudentiam politicam euertunt; habent enim Politici de virtute politica, quæ in Principe moram facere debet, quam diuidunt in vniuerſalem, & particularem: dicunt Vniuerſalem prudentiam imperandi illam, qua Princeps, & Reipublicæ moderator ea intelligit, quæ ad ipſiuſmet Reipublicæ ſalutem, & rectam adminiſtrationem pertinent; dicunt enim duas eſſe partes huiuſmodi prudentiæ, nempè intellectum, & delectum, quorum primus eſt ipſius prudentiæ actus, quo Princeps cognoſcit, atque intelligit, quæ ad eius munus pertinent, ſimul, & ea, quæ in ſui Regni adminiſtrationem ſint agenda, procuranda, ſiue omittenda.

tenda. Alter est idem prudentiæ actus, quo honesta ab inhonestis, vtilia à noxijs, verecunda ab inuerecundis discernit, atque aptè omnia ad præsentia accommodat, & disponit: Hanc prudentiam politicam euerterent illa priuilegia, quæ operarentur quin Princeps intellectu, & delectu in actionem politicam vti valeret, & quasi è manu Principis moderationis habenas eriperent: euertunt, vt supra diximus, Monarchiam ipsam, & laconice faciunt dominari Regem; mutanda aliquando atque moderanda priuilegia sunt, ne Princeps prudentiæ vsu, & exercitio destituatur, quam Plato vocauit caussam agēdarum rerum, Arist. libr. 6. Ethicor. cap. 5. dixit habitum cum vera ratione coniunctum in his agendis versantem, quæ homini noxia, vel vtilia censentur; Stoici scientiam bonorum, & malorum, & mediorum nuncuparunt, quos imitatur Cicero de Inuent. libr. 2. asserens esse rerum bonarum, & malarum; eundem sæpius dicentem audiuimus esse humanæ vitæ, Magistram, vel artem vitæ: dicemus fortè à prudentia Principis non esse eligenda bona vel euitanda mala, quia Principem priuilegia oppugnent? absit, profectò in multis decet supremum Principem, vel eius locumtenentem, & Proregem ordinem iudicij non seruare, potestate legibus non ordinata vti, tum ad punitionem scelerum, tum ad administrationem rectam rerum agendarum: sed quia contrarium disponunt priuiegia, id assequi non valet; at si princeps legibus humanis non subijcitur, quotiescunque illa obseruare non est expediens,

ens,

tis minimè derogari poteſt; nam ſacroſanctum, & illibatum penès Principem permanere debet. Omnia penè priuilegia Meſſanenſium, ſecundum præſentis temporis conditiones, contra bonum publicum eorum Ciuitatis apparent; non erunt propterea obſeruanda; in hoc Princeps erit arbiter, & moderator, ipſe cognoſcet, quæ nam ſint in Republica procuranda, quæuè euitanda; poteſt itaque non obſeruare priuilegia, ſi ſecundum iuſtitiam illam vniuerſalem, de qua ſupra diximus, aliter Ciuitas illa ad bonum commune dirigi non poſſet; ipſe Princeps inuentor eſt mediorum, quibus humana fælicitas comparatur, & aſſequitur. Hactenus de Priuilegijs.

Alterum fundamentum Ciuitatis Meſſanæ fit in vltima conuentione, in qua, vt ſupra dictum eſt Catholica Maieſtas Regis Philippi Secundi Recolendæ Memoriæ ex parte ſua contribuit duas gabellas, quas ex cauſſa illius conuentionis aboleri penitus, & extingui iuſsit, duo officia conceſsit, quod poſsit Ciuitas imponere gabellam ſuper ſerico, & quod illud non poſsit extrahi à Ciuitate Thermarum, Syracuſarum vſque ad Meſſanam, niſi per Portum Ciuitatis Meſſanæ, quod de cætero ſua Catholica Maieſtas non potuiſſet imponere gabellas, & demùm nonnulla alia; ſed quod maximè iuribus ſuæ Catholicæ Maieſtatis obfuit, ac dominationem liberam illius Ciuitatis àb ea eripuit, fuit alterare diſpoſitionem Priuilegij Regis Alphonſi, dati anno 1432. in quo cauetur, quod iudices, facta declaratione, aliquod

L ref-

rescriptum tendere contra priuilegia, infrà mensem transmittere consultationem ad Regem Dominum Nostrum arctarentur, & interim in negotio supersedendo per quatuor menses, quibus elapsis, & non habita responsione omninò mandata regia, atque rescripta, non obstante prædicta declaratione, exequutioni demandare deberent, & suum sortirentur effectum; huic priuilegio per conuentionem fuit derogatum, & tantum arctantur Iudices ad consultandum cum sua Catholica Maiestate, & Ciuitas, siue quilibet alius, qui pro se obtinuisset Iudicum declarationem, teneretur introducere scripturas in supremo Consilio infra spatium octo mensium, & aueniente responsione, seruandam esse formam resposionis, & non adueniente, obseruandam esse determinationem Iudicum; clausula huiusmodi, vt supra dixi, authoritarem Suæ Catholicæ Maiestatis in illa Ciuitate pessumdedit; nam huc vsque omnes determinationes contra priuilegia transmissæ ad Supremum Consilium pendent, & interim obseruantur, & exequutioni mãdantur Iudicum Decreta in graue præiudicium iurium Suæ Catholicæ Maiestatis, & damnum multorum; quid sit in caussa nescimus, fortè quia nullus sit, qui pro expeditione in illa Curia instat; huius rei sit pro modo exemplum, quod adhuc non sit determinata caussa contra priuilegia litterarum Suæ Catholicæ Maiestatis datarum Madritij 14. Decembris 1607. in quibus mandatur, quod in huiusmodi determinationibus nullatenus

posſit

posſit procedere, niſi parte, vel fiſco citatis: atque mandatum ratione fulcitur, nimirum, quià ità Sua Catholica Maieſtas priuilegia interpretatur, & contra omnem legem ſit excludere defenſionem, quæ in citatione quorum intereſt, conſiſtit: ſed hoc non obſtante, fuerunt qui auſerint dicere, litteras contra priuilegia eſſe, & iuxtà votum inuenerint Iudices, & cum fuerint tranſmiſſæ ſcripturæ iuxtà formam conuentionis, huc vſque obſeruamus ſilentium. Hæc interuenerunt in illa conuentione ex parte Suæ Catholicæ Maieſtatis. Quod attinet ad extinctionem gabellarum fuit remiſsio, & alienatio iurium Regalium, quæ ſoli Principi competunt, in quorum alienatione militant ea, quæ ſupra diximus in ſeptimo fundamento, vel quod eorum alienatio non valeat, vel quod ſucceſſor in Regno, non obſtante pacto, & iuramento prædeceſſoris, illam poſsit reuocare. De Regalibus dicitur facta conceſsio, dum Sua Catholica Maieſtas permiſit, poſſe Ciuitatem imponere gabellam, nam vtique iure proprio id efficere minimè valuerat; Vniuerſitas enim Superiorem recognoſcens, minimè noua vectigalia imponere poteſt ſine conſenſu Principis, Iaſ. in l. de quibus nu. 45. & ſeq. ff. de leg. Nicol. Loſ. de iur. vniu. par. 3. cap. 8. cum ea indicere ſit ſolius Principis per ea, quæ ſupra in primo fundamento probauimus. Rurſus, & de regalibus fuit abdicatio illa poteſtatis, quam ſibi indixit Sua Catholica Maieſtas non ponendi gabellas, & alià munera in Ciuitate Meſſanæ, includendo

etiam casus exceptos in Capitulis Regni; quoad isthæc omnia procedunt ea, de quibus in septimo fundamento habuimus; sed quia prætendere posset Ciuitas aliquid de suo non contulisse Suam Maiestatem, dum ordinauit extinctionem, & abolitionem duarum gabellarum, eo quia contra ius, & iustitiam fuerint impositæ, quam iustitiam, & iniquitatem absque alio pretio tenebatur reuocare, aliqua in medium afferemus, quoad validitatem, & iustitiam dictarum gabellarum tunc temporis indictarum.

Vt in principio positum habemus, gabellæ prædictæ, accedente assensu totius Regni fuerunt indictæ, congregati in comitijs generalibus, vocata, & contumace Ciuitate Messanæ; quo fit, vt quod in illa congregatione fuerit dispositum, nocere Ciuitati Messanæ dicatur, ac si Syndicus Ciuitatis Messanæ in Comitijs interfuisset, votumq; suum, & suffragium dedisset; id de iure communi expeditissimum, clarissimumq. est; actus enim gesti per vniuersitatem siue Collegium, vt validi censeantur, requiritur, quod duæ partes Vniuersitatis interueniant, & interuenientium maioris partis votum accedat, sunt plures *contextus l. 3. ff. de decret. àb ord. fac. l nulli l. planè ff. quod cuiusque vniu. nom. l. nominationum C. de Decur. libr.* 10. *glos. in cap. vnic. de cler. ægrot. in 6. & in cap.* 1. *vers. constitutum de his, quæ fiunt à maior. par. cap. bonæ memoriæ il secondo ver. temerè de post. prælat. specul. in tit. de Syndic. in princ. vers. item quod non est, Lap. alleg.* 131. *incipien. Numquid maior pars, Butr. post Ioann. Andr in cap. 1. de his, quæ fiunt à Maior. par. cap. & in cap. fin. col.*

colum.3 .de maior.& obed. Abb.in cap.cum omnes num. 11.*vers. quæro ad declarationem prædictorum de const.qui interpetatur tex. in l quod maior pars ff.ad municip.* vt sufficiat duarum partium interuentus, & maioris partis interuenientis votum, esse communem opinionem legistarum, & canonistarum dixit: *Abb.in d.cap. cum omnes, Doct. in l. omnes populi ff.de iust.& iur.Capic.decis.*4.*num.*1.*multa ad conclusionem coaceruat Alphon.Villag.in tractat.de reb.Eccles.mal. alien.libr.*1.*part.*1.*cap.*37.procedit supradicta conclusio, etiamsi duæ partes nō accederent, facta earum vocatione, designatis tempore, & loco àb habente potestatem conuocandi vniuersitatem, siuè collegium; nam ratione contemptus videntur iuri suo renuntiasse, & quod dispositū fuit a maiori parte interuenientium, erit firmum, & à iure approbatum, etiam in præiudicium non venientium, ità Villag.loco præcitato ex multis iuribus, & authoritatibus. In casu nostro habemus omnia requisita, & sollemnitates obseruatas, de quibus *in l.2.C.de decur. lib.* 10. *& ibi gloss.* & more solito fuit facta omnium vocatio; nam in hoc statur consuetudini locorum secundum *Bart.in d. l nulli ff.quod cuiusque vniu.nom.& in l.quod maio.ff. ad municip.Capic.d.decis.*4.*num.*3. fuit enim indictum Parlamentum à Prorege, designatus locus, atque omnes partes, quæ constituunt Vniuersitatem Regni, vocatæ, & monitæ, vt certa die conuenirent, fuit vocata Ciuitas Messanæ, quæ nec Syndicum, nec aliam personam misit. Et propterea iuxta supradictam doctrinam, quod in Parlamento vnanimiter fuit conclusum,

ſum dictæ Ciuitati nocere debuit ratione cõtẽptus,& renuntiationis iuris ſui; fuit ibi determinatum, quod fuit vtile, & neceſſarium: impoſitæ enim fuerunt gabellæ pro exſoluendis ſtipendijs militum, & ſuſtentandis Regni triremibus ad cuſtodiam, & tutelam Regni decretis, & tetigit ſingulos, vt vniuerſos, non vt ſingulos, quæ neceſſaria ſunt requiſita, vt procedat ſupradicta concluſio *l. quod maior ff. ad municip. de quibus per Doct. in locis præallegatis, & Vincent. de Franch. deciſ. 2. per totam* vbi tuetur concluſionem procedere in actu volũtario, in quibus eſſe immorandum haud arbitramur, quia ſcimus nobis obijciendum fore Priuilegium Regis Alphonſi, cuius meminit Bolognett. d. conſ. 1. num. 43. per quod diſponitur, quod pars maior in Parlamento non poſsit Ciuitati Meſſanæ præiudicare, niſi interueniat eius Syndicus cum ſufficienti poteſtate creatus, qui cõſentiat. Cui, reſpondemus dupliciter.

Primo non valere huiuſmodi Priuilegium, quia alteri nociuum; nam ſi Meſſana Ciuitas non obligaretur iuxtà formam iuris, vocata, & contumax, vtique ſemper iſta via obligationes, ad quas de iure teneri poteſt, non accedendo ad Comitia regni, euitaret: atque indè ſequeretur, quod totum pondus, & onus à cæteris regnicolis ſuſtineretur, quod iniuſtum, & iniquum eſt. Et propterea nullum priuilegium *l. nec Auus C. de emancip. liber. l. reſcripta C. de precib. imperat. offerend. l. virtutum C. de ſtat. & imag. l. 2. §. merito ff. ne quid. in loc publ. l. in ciuile C. de reiuend. l. in puberi ff de*

ff. de admin. tutor l. 2. §. si quis à Principe ff. ne quid in loc. publ l. 1. §. sunt autem ff. ne quid in flum. publ. l. si quis sepulchrũ ff. de relig. & *sũpt. funer l. fin. ff. de Senat. l. fin. C. de præpos. sacr. cubil lib. 12. l. nec Dorotheum C. de decur. lib. 10. l. nec damnosa C. de precib. imp. offeren. l. meminerit C. vnd. vi*. Non cẽsuit enim Rex à nexu obligationis legalis disponentis maiorem partem præiudicare minori, Messanam in perniciem, & detrimentum totius Regni eximendam esse: cum omnia priuilegia insertam habeant clausulam, saluo iure tertij.

Secundo respondetur hodiè cessare penitus ea, quæ Bolognett. d. cons. circa istum articulum adduxit: nam ex forma alterius priuilegij eiusdem Regis Alphonsi dati sub anno salutis 1432. cautum est, elapsis quatuor mensibus, & non reddita responsione à rege, executioni omnino demandari debere iussionem, siue rescriptum, in nihilo refragante determinatione facta per iudices in fauorem priuilegiorum Ciuitatis; ex quo dicendum, vt tempore, quo fuit facta conuentio, amplius de iuribus Ciuitatis circa merita impositionis gabellarum, non fuerit tractandum, & omnia quæ Bolognettus elaborauit in cassum perierint, cum ex dispositione eorumdem priuilegiorum per lapsum quadrimestris quæstio contra impositionem gabellarum tacuerit: & quidem rationabilis, & iuridica fuit dispositio illius priuilegij ex pluribus. Primo, quia cum iudices sint, & munerẽ delegatorum regiorum in dererminandis quæstionibus contra priuilegia fungantur, potuit Rex

Rex delegatis suis hanc imponere conditionem ; Iudices enim vti ordinarij minimè Iudices competentes dicerentur: nam caussa priuilegij concessi à Rege, ad Regem, & Senatores regios spectat: *tex. notabilis in cap. cum venissent de iudic. cum super priuilegijs, (inquit Pontifex) sedis Apostolicæ caussa vertitur, nolumus de ipsis per alios iudicari, ex text. in l. ex facto ff. de vulgar. ibi beneficia principalia ipsi Principes solent interpretari l. fin. ff. de const. Princip. cap. 1. & 2. de confir. vtil. vel inutil.* cautũ idem est per leges Hispaniarum *l. 27. tit. 18. par 3. ibi no lo deue ninguno iusgar se no el mismo o los otros que reynaren Otalor. tract. de nobilit. 3. par. cap. 2. num. 5. & 4. & 4. part. cap. 3. num. 1. & 2.* Et licet aliquandò dari possint casus, in quibus inferiores de priuilegijs discutere valeant, de quibus *per Felin. in d. cap. cum venissent de Iudic.* tamen *Bald. in cap. 1. num. 3. apud quos feud. contr. deb. in vsibus feudorum* in illla quæstione, Numquid ea, quæ tangunt beneficium Principis, possint per alium, quàm per Principem dirimi; distinguit, quod aut est dubium de priuilegio, aut de priuilegiato. Primo casu Princeps cognoscit; Secundo inferior à Principe, quod latius explicat; & subdit, quando in priuilegio consistit ius priuilegiati, inferior potest cognoscere, sed si quæstio erit super voluntate Principis, tunc ad Principem est recurrendum; reassumit dicta Baldi *Garsias de Nobilit. glos. 1. §. 1. num. 2.* si priuilegium est certum, & certa Principis voluntas, sed dubitatur de facto partium, tunc inferiores cognoscere possunt, si dubitatur de priuilegio ipso, & de intẽtione priuilegij, ad Senatores Regis est recurrendum

rendum

rendum, & in ſenſum Baldi reincidere dicit verba *Io. Andreæ Ant. Abb. Imol. & Felin. in d. cap. cum veniſſent de Iudic.* aiunt enim, quod aut contenditur de valore priuilegij, ſeu de intellectu, & interpretatione concernente validitatem, & mentem principaliter, & hoc caſu aiunt, quod Princeps debet cognoſcere; aut incidit quæſtio de commodo, & validitate, & vſu priuilegij reſpectu ipſarum partium, & dicunt, quod inferiores Iudices poſſunt cognoſcere; quam ſententiam ſequitur *Greg. Lopez d. l. 27. tit. 18. part. 3.* quem ſequitur *Garſ. d. loco* quod ait, decentiſsimum, & loquitur de priuilegio immunitatis à gabellis: ſed quia in cauſſis contra priuilegia Ciuitatis Meſſanæ ſemper vertitur quæſtio de voluntate Regis, & de valore ipſius priuilegij, prout cōtigit in caſu impoſitionis duarum gabellarum anno 1562. & in præſenti: contendimus enim priuilegia immunitatis non valere aduerſus Vectigal, neque comprehendere caſum grandis, & immenſæ neceſsitatis, meritò illius determinatio ad Regem de iure communi ſpectaret; Iudices igitur de cauſſa priuilegij tractant, non vti ordinarij, & ſic inferiores, ſed vti Principis delegati decernunt; cum hac tamen conditione indicta à Rege Alphonſo in d. priuilegio, quod Regem conſulere debeant, indeq. Regiam reſponſionem quatuor menſibus expectare, qua non adueniente, executioni demandari mandatum regium decernit, prout per ſuas litteras ſupra commemoratas mandauit Catholica Maieſtas, ordinatione rationem tribuens in lapſu dic-

torum quatuor mensium iuxtà formam prædicti priuilegij.

Ex his itaque quidquid sit dicendum, atque iudicandum de meritis iustitiæ impositionis illarum gabellarum, antequam laberentur quatuor menses, inspecto tempore, quo fuit facta conuentio inter ciuitatem, & Catholicam Maiestatem Philippi Secundi, gabellæ erant irreuocabiliter Regiæ Curiæ acquisitæ, & amplius Priuilegijs Messanensium non subiacebant. Vndè patet assumptum nostrum, quod ex parte Catholicæ Maiestatis in illa conuentione prædictæ duæ gabellæ interuenerunt.

Insuper ex parte Catholicæ Maiestatis collatio duorum officiorum fuit, cum ad Principem ea iure Maiestatis spectent, & inter regalia iura annumerentur, cum lege Regia Populus hanc potestatem transtulerit in Principē *l.1.§.ijs cunabulis ff.de offic.Præfect.Prat. l.1.C.de vet.iur.enucleand.* Princeps est Iudex Iudicum, *l.fin.C.de leg.& const.habent Doct.in tit.quæ sunt regalia in ver. potestas constituendorum, & ibi Andr. de Isern.* & sic tanquàm res propria suæ Catholicæ Maiestatis illa duo officia Ciuitati tributa fuerunt.

Iterum prohibitio non extrahendi sericũ, nisi à Portu Ciuitatis Messanæ, concessio Regalium iurium nuncupatur: nam Portus sunt huius generis in tit. quæ sunt regalia verb. Portus, Isern. exponit portus redditus, seu Vectigal, quod peruenit ex portu, hoc Vectigal videtur concessum Messanensibus, quia dum omne sericum asportari a Portu Messanæ, iubetur

betur, Rex Dominus Noster facultatem imponendi amplius vectigal super serico à se abdicasse videtur: nam simul atque abstractio àb illo portu decernitur, isto redditu priuatur: quia ex forma priuilegiorum nullum Vectigal neque ciuibus, neque exteris indici potest, adeout nihil aliud fuerit hæc prohibitio, quàm suam Catholicam Maiestatem vniuersum ius regale imponendi Vectigal asportantibus sericum à portibus totius Regni cedere, atque renuntiare: nam omne sericum fit in locis, à quibus est interdicta asportatio, hoc certè in magnam diminutionem iurium regalium, & Maiestatis Principis factum fuit: succedunt propterea ea, quæ supra in septimo fundamento annotauimus, cum id in vim priuilegiorum, nullum etenim priuilegium Messanenses in hac re obtinent, eis concessum videretur.

Rursus de regalibus fuit, concedere Messanensibus posse gabellam penè in toto Regno super serico imponere, cum ius Vectigalia indicendi expressum in tit. quæ sunt regalia reperiatur, vt habuimus in superioribus; ex ista concessione Messanenses ne dum summam aureorum 500000. oblatorum Regiæ Maiestati assecuti fuere; verum etiam aureorum quatuordecim mille redditus. Consultò post habemus considerare cætera, quæ sua Catholica Maiestas Ciuitati in illa conuentione largitus est: nam satis, superq. ad nostram intentionem fundandam sufficiunt hæc tria, scilicet concessio officiorum, prohibitio, ne aliunde, quàm à Portu Messanæ sericum ex-

M 2 trahe-

traheretur, & facultas imponendi Vectigal, quæ omnia iura regalia sunt. Accedamus propterea ad ea, quæ Ciuitas ex parte sua contulit, vno verbo quidem dicere possemus, nihil.

Obtulit tantum soluere aureos 500000. nihil tamen de patrimonio suo consumpsit; nam, vt supra diximus, has pecunias ex facultate regia indicendi Vectigal concessa, Ciuitas consequuta fuit; imposuit enim gabellam granorum vigintiquinque pro qualibet libra serici, super qua ad censum dictos aureos 500000. habuit, quos posteà suæ Catholicæ Maiestati persoluit. Vndè verissimum sit dicere, nihil de suo Ciuitatem tradidisse. Nec refert dicere, stantibus priuilegijs, suam Catholicam Maiestatem Vectigal in Portu Messanæ indicere haud valuisse, & ideò necessarium consensum Ciuitatis ad illud indicendum fuisse. Nam respondetur, suam Catholicam Maiestatem liberam, & immunem Ciuitatem relinquere, & nè latum quidem vnguem àb obseruantia priuilegiorum recedere vtilius fuisse; consequutus enim fuisset aureos 500000. & in sua Regia facultate remansisset, & ad libitum augere dictum Vectigal, hac via potuisset ordinare, nempè quod sericum àb alio Portu Regni asportaretur, putà Milatij, Syracusarum, Thermarum, Panhormi, Augustæ & aliundè, habuisset pro certo dictam summam, & modò regale suũ ius Messanenses non oppugnarent, & absque alia perturbatione nos versaremur, Messanenses vtique asportare suum sericum vel à Portu

Mes-

Messanæ, vel àb alio Regni absque solutione Vectigalis valuissent , tantum sua Catholica Maiestas Vectigalis non habisset, quantum esset Messanensium sericum asportandum, quod respectu totius Regni minima fuisset pars; quid enim lucri habuit Regia Curia à receptione scutorum 500000. nihil profectò, cum aliundè eamdem summam potuisset habere,non alienasset,& in perpetuum vendendo Messanæ portum Messanensibus, inquimus, omnes Portus Regni quoad sericum ; hoc enim importat illa prohibitio non extrahendi illud, nisi à Portu illius Ciuitatis; nam cùm Portus in Vectigalibus consistat, quæ potest Princeps, & Dominus Portus indicere , facultate huiusmodi erepta, nil aliud remanet pro Rege; nam statio naualis communis est, & Regi, & Amicis, & Socijs, & propter eà signum dominij alicuius Portus, aliud quidem non est, quàm facultas Vectigalia indicendi, quæ soli Domino vigore iurisdictionis, & maximi imperij competit: hinc verum est dixisse suam Catholicam Maiestatem,omnes Portus Regni in illa conuentione alienasse: videant Regij Ministri,obsequentesq.. Vassalli, quo pacto tàm grandis læsio, circumuentio, & diminutio iurium Regalium sustineri queat, & qua ratione supra dicta à fortiori in casu isto procedant: audemus dicere veritatem istam tam claram esse, & patentem, vt ijdem Messanenses(optimos si eligeremus)negare eam non valeant, & si cum ijsdem aliquandò congredi nobis datum foret, eisdem interpellantibus, his verbis ,

nùm

nùm ſcilicet Rex Noſter inuictiſsimus alienationem Portuum, & reddituum, qui ex Portubus totius Regni Siciliç proueniunt, obſeruare teneatur? pro certo ſperaremus reſpõſuros, minimè; & rationem expoſcẽtibus dicturos, quia Princeps obſeruare cõtractus ſui præ deceſſoris in grandem diminutionem Coronæ, prout eſſet huiuſmodi alienatio, haud arctatur: hanc veritatem ipſi faterentur Meſſanenſes, ità profectò eueniet. At negare poterunt conuentionem ſupra dictam idem non continere? cum ſit vnum, & idem alienare omnes redditus portuum, & aſportationem ſerici totius Regni à Portu Meſſanæ introducere: nam indicta ibi aſportatione, ſtatim Rex eſſe Dominus reddituum Portuum deſinit, cum vigore priuilegiorum nullum imponi vectigal in illo Portu valeat: at ſi hoc non poteſt negari, cognoſcant quanto fortius procedunt ea, quæ in ſeptimo fundamento coaceruauimus.

Ex his itaque contractus celebratus inter ſuam Catholicam Maieſtatem, & Ciuitatem Meſſanæ, nullus, & inualidus redditur. Primo, cum dolus re ipſa in eo interuenerit, ad cuius comprobationem paullo altius rem exordiri decreuimus. Inter alias doli diuiſiones tradunt Doctores dolum alium eſſe ex propoſito, alium re ipſa. *Iodoc. in tract. par. vel ſimil. in ver. dolus ex propoſito*, talem dolum deſcribit hoc pacto: *Dolus eſt ex propoſito, cum aliquis præmeditate, & ſtudio proponit alterum decipere, Celſus Bargal. in tract. ſuo de dolo, illum definit: Dolus ex propoſito eſt deceptio, vel machinatio ex*

malo

malo animo in negotijs adhibita; quòd colligit *ex l. si quis de verb. obligat. l. 2. §. circa ff. de except. dol.* potius tamen commemoremus definitionem à Labeone traditam *in l. 1. §. 1. ff. de dol. mal.* ipse definit dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam; hanc definitionem Vlpianus approbat, dicens, *Labeonis definitio vera est.* Dolus huiusmodi duabus præcipuè coniecturis probari potest:(nàm receptissimum est coniecturis posse probari Iudicis arbitrio remittendis. *Anchar. quæst. 22. num. 3. Rot. Gen. decis. 168. num. 3. & decis. 3. num. 27.*) quarum prima est ex persuasionibus, quibus vsus est vnus ex contrahentibus, vt alterum ad contrahendum induceret: *Crauett. cons. 192. Rimin. Sen. cons. 761. num. 9.* altera est, quando in contractu, vel alia dispositione læsio vnius partis multum excessiua legitur, *Crauett. cons. 81. num. 49.* dicens probatum dolum ex proposito ab enormissima læsione, *Curt. Iun. cons. 141. num. 16. inquit,* ex communi sententia dolum argui ex proposito ob grauissimam læsionem. Vtrumque dolum in pluribus conuenire tradiderunt Doctores, eos æquiparat *Roland. à Vall. cons. 7. num. 43. lib. 3. Soccin. Iun. cons. 129. num. 40. & 47. vol. 1. cons. 57. & cons. 60. vol. 3.* indubitatum dicit, *Ioann. Cephal. cons. 62. num. 24.* Cùm dolus præsumptus re ipsa propriè dolus dicatur secundum *Bart. in l. quod Nerua col. 2. vers. debetis. ff. deposit.* refert, & sequitur *Curt. Iun. cons. 141. num. 6.* sed quidquid de dolo ex proposito dicendum sit, ad dolum, re ipsa, accedamus. Hunc

dolum

dolum definiunt Doctores esse læsionem in contractu absque voluntate, & proposito contrahentium euenientem, *Corn. cons.* 283. *num.* 9. *vol.* 4. *ait*: dolus re ipsa est, vbi resultat dispositio inter contrahentes hinc indè collata. *Iodoc. in Enchiridion par. vel simil. ver. dolus ex proposito, inquit, dolus re ipsa est, quando aliquis in facto suo, quod intendit, fraudem nullam præmeditatur, sed ipsius tamen factum interim tale est, vt propter enormem læsionem dolum in se contineat, & de dolo commisso accusari meritò posset, Bargal. de dol. lib. 2. tit. de dolo re ipsa, sic describit*, dolus est, qui ex petitione rei ex iniusta, vel ex nulla caussa facta nascitur, vt colligitur *ex l. si quis cum aliter ff. de verb. obligat. l. 2. §. circa ff. de except. dol. l. 1. in fin. ff. de cond. sin. caus.* dolus iste tribus modis committi potest, ex caussa iniusta, ex caussa nulla, ex læsione, & ista dupliciter, vel quia læsio sit enormis, vel enormissima, circà quam aliqui eam dici enormissimam, quando deceptio est in tota summa, dicunt; vt voluit *Soccin. Iun. cons.* 144. *num.* 10. 11. *vol.* 2. *& Ruin. cons.* 109. *vol.* 1. *& cons.* 11. *vol.* 3. frequentiori tamen calculo eam dicunt Doctores, quæ multum dimidiam excedit, *Ias. cons.* 113. *libr.* 4. *Curt. Iun. cons.* 141. *num.* 5. qui dicunt communem, *Corn. cons.* 189. *num.* 15. *vol.* 1. *inquit, quod* quando læsio excedit dimidiam in duplo, non est enormissima læsio, *cum Ias. & Curt. sentiunt Cagnol. in l. 2. num. 89. C. de rescind. vendit. & Pinell. ibi 3. par. num 78.* Cæterum secundum communem sententiam, quando dicatur enormissima læsio, arbitrio Iudicis leges relinquunt. *Gabr. tit. de empt. & vend. conclus. 1. nu. 10. Roland. à Vall. cons.*

70.

70num.54.vol.3. Bursat.cons.99.num.23 cons.25.num.5.vol.5. Menoch.de arbitr.Iudic.lib.2.cas.79. Inter enormem, & enormissimam læsionem, hanc constituunt differentiam, vt ob enormem læsionem contractus, sine relaxatione à iuramento rescindi non possit, secus in enormissima: *Decius cons.329. Afflict. decis.322. num. 9. Pinell.de rescind.vendit.part.3.cap.1.num.8. Cagnol. ibidem nu. 98.& 99.* Insuper aliud discrimen constituunt, quod enormissima læsio arguit dolum ex proposito, scilicet, quando læsio est in toto, aut in quasi toto, at secùs enormis læsio *Mascard.de probat. concl. 531. num. 28.* tunc annullat contractum bonæ fidei, quemadmodum dolus ex proposito; *Seraphin.de priuil.iur.priu.83.nu. 99.* & censetur dolus esse ex proposito *Crauett.cons. 142.num.27.Cephal.cons.110.num.82.*& dicunt Doctores nil differre, quantum attinet ad annullandum contractum, dolum ex proposito, & dolum re ipsa, *Bal. quem sequitur Grammat.cons.128.num.3.in ciuil.Calcan cons. 33. num.25.Crauett.cons.264.num.4.& cons.192. Curt. Iun.cons. 53.num.9.& 10.& cons.101.num.6.& cons.141.num. 5.* de magis communi testatur *Osasch.decis.Pedamont.43. num. 2.* hinc refert *Seraph. de priuil. iur.priu. 82. num. 99.* quod sicut dolus, qui dedit caussam contractui, facit, vt contractus sit ipso iure nullus, quando est bonæ fidei, ità & dolus re ipsa reddit illum ipso iure nullum, vt iuramentum non habeat illum confirmare, cum dolus, qui vitiat contractum, vitiet & iuramentum, iuxtà *glos.notab.in l. si Patronus hæres §.Patronum ff.si quis in fraud.Patron.facit text. in l. cum princi-*

N *palis*

palis de reg.iur. & per Soccin.conf.3.col.3.vol.1. sed quidquid sit de iuramento dicendũ, de illo ad nos non spectat disputare; nàm per Regem Dominum Nostrum non fuit iuratus contractus, de cuius nullitate tractamus.

Dolum re ipsa, quando læsio est in totum, vel quasi in totum, æquipararari circa annullationem contractus, dolo ex proposito danti caussam contractui supra firmauimus; at dolus ex proposito annullat contractum ipso iure; ergo ita dicendum in dolo re ipsa. Dolus ex proposito annullat contractus bonæ fidei, quorum meminit *Imperator in §. Actionum instit.de Action.* contractus enim se habent ad actiones, ideò ij dicũtur bonæ fidei, qui bonæ fidei actiones producũt *Ias.& Doct.in d.§.* ratio est regulæ, scilicet dolũ ex proposito annullare cõtractus bonæ fidei, quia bonæ fidei nihil est magis contrarium, quàm dolus: *l.3. in fin. ff. pro Soc.* aliqui improbant hanc rationem, sed nihil ad nos; assumptum principale probatur *à Ias.Gomez.Benincas.in dicto §. Actionum Bart.in l.eleganter num.4. & seq ff. de dol. Mant.sing.316.num.1.& seq. Crot.in l.si is, qui pro emptore num.114.ff.de vsucapion. Galial.in rubr. ff. de verb. oblig. num. 98. Doctores in l. si quis cum aliter ff. de verb. signif. maximè Bart. Imol. Ias. Duaren.in l.in actionibus num.16.de in lit.iur. Bal.in l.non dubium in septima opposit.C.de legib. Imol. in l.si cùm dotem §.fin aliter ff.sol.matr. Abb. & alij in cap. dilecti de empt. & vendit. Bald.in rubr. C. de instit.act.* atque vt desinamus inquirere, vtrùm nos in contractibus, de quibus in d.§.actionum, versemur, dicitur bonæ fidei conuentio, de qua habemus, quia Principis contractus dicitur

citur, qui naturam contractuum bonæ fidei assumit, *ità Bal. in tit. de pace const. §. si quis vero Ias. in l. Ciuitas col. 4. vers. item attende ff. si cert. petat. Alex. in apostill. ad Bart. in l. Cæsar ff. de public. Caccialup. in l. omnes populi col. 57. ff. de iust. & iur. Ias. in l. cum fundus in 3. fallent. ff. si cer. pet. & in l. & si post tres colu. fin. ff. si quis caut. & in l. si insulam col. 9. ff. de verb. obligat. Gomez in dicto §. actionum num. 34. Dec. cons. 187. col. fin. & cons. 4. in principio Corn. cons. 63. vol. 2. Ioann. Neuizan. inter Consf. Bruni 12. col. 5. Dec. & Felin. in cap. 1. de probat.* Et licet hoc dictum Doctores in persona ipsius Principis considerent, in qua bona fides ob Ptincipis præstantem virtutem præsumenda veniat: tamen idem dicendum est respectu priuati cum principe contrahentis, cum ad imparia Princeps contrahendo cum priuato iudicari non debeat, atque contractus respiciat fauorem suum, & odium decipientis, priuati contractus reputari debet bonæ fidei, & per consequens sub regula, quod dolus annullet ipso iure; cum eatenus Princeps ligetur contractu, quatenus non sit inæqualis conditio inter Principem, & Priuatum; *Franc. de Pont. cons. 63. num. 11.*

Sed hæc qualitas considerata à Doctoribus in contractu Principis contractui nostro accedit, qui est bonæ fidei, *vt per Doct. in dicto §. actionum, dixit Bargal. de dol. lib. 3. cap. 3.*

His itaque positis, resultat nullitas ipso iure conuentionis inter Catholicam Maiestatem Regis Philippi Secundi, & Ciuitatem Messanæ, cum satis, superq. re ipsa enormissima læsio in toto appareat, ex

parte Messanæ Suæ Catholicæ Maiestati nil traditum, & multum Ciuitati ab eadem Maiestate concessum.

Data huiusmodi enormissima læsione, Principem ad obseruantiam contractus subdito teneri, nil iuuat dicere. Immunitatem fuisse cōcessam titulo oneroso, & alia similia affirmare, parum refert: cum in hoc sua Catholica Maiestas iure priuati vtatur; vt, quemadmodum quilibet alius aduersus conuentionem, in qua fuerit enormissimè deceptus, venire potest, ità & Principi a gratia, siue priuilegio continente caussam onerosam liceat recedere: dicunt enim Doctores, quod licet, priuilegium in vim contractus transiuerit, attàmen illud tunc effici irreuocabile, quotiescunque datio facta Principi, haberet commensurationem cum re concessa perpetuò: vt putà, si aliquid fuerit datum æquiualens, aliàs reuocari poterit priuilegium: *ità Bal. in l. qui se patris col. 6. C. vnd. lib. num* 34. *secundum Nicol. de Matarell.* dicentem, Principem nullo iure esse obligatum ad perpetuam obseruantiam priuilegij concessi subdito, immò posse illud reuocare, nisi prætextu concessionis Princeps aliquid fuisset lucratus, putà donationem, vel factum, quod perpetuam commensurationem cum re concessa obtineat: licet *Paul. Castr. in l. si mihi, & tibi §. fin. de leg.* 1. *in lect. Bonon. quem refert Addit ad Bald. in d. l. qui se Patris in vers. lucratus* dicat contra Nicolaum de Matarellis, & *Bald. facere l. Titius puerum. ff. de obseq. patr. præst.* vbi fit differentia inter seruum, qui dat pro libertate

bertate consequenda pecuniam Domino suo, vt tunc Dominus dicatur vti liberalitate, & si ab alio accipiat, secus; atque ità debere distingui in concessione priuilegij, vt superior concedens priuilegium subdito, etiam habita pecunia, dicatur vti liberalitate, & sic possit Princeps reuocare, sicut in simili not. *in l. licet ff. si quis omiss. caus. test.* tamen ipse Castr. ait, dictum Baldi hoc pacto procedere, quod aut datur aliquid, quod sit æquiualens ipsi immunitati concessæ, & tunc non possit reuocari, secus si non æquiualens tradatur. *Bald sequitur Soccin. cons. 4. col. 2. circà finem vol. 3. & cons. 87. col. 6. in fin. eod. vol. Dec. cons. 292. col. pen. in fin.* hæc decisio maximè ad casum nostrum conducit: nam si, vt supra demonstrauimus, datum à Ciuitate Messanæ æquiualens concessis à sua Catholica Maiestate dici non potuit, tunc per supra dicta iura conuentio illa ipso iure nulla redditur, atque illa sua Catholica Maiestas potest reuocare. Secundum itaque terminos istos euitamus multa circa declarationem nullitatis, vel rescissionis; hinc dixit *Bald. in p a- lud. feudor. vers circa primum* in illa quæstione, vtrum feudum dicatur Gratia, quod si comparentur ad inuicem concessio feudi, & beneficiorum receptio, si præponderat beneficium, feudum habet plurimum gratiæ; *& Soccin. in cit. cons. 4. col. 2. in fin.* ait, quod aliàs consultum fuit per Alex. de Imol. in Ciuitate Volaterana, quæ fecerat quamdam concessionem fodiendi mineras, eam non valere, quia concessio pecuniam solutam excedebat; *est cons. Alex. 7. vol. 7.* huiusmo-

di

di gratiam Princeps arbitrio suo sine caussa, licet aliquid oneris in se contineat ex parte suscipientis, reuocare potest: *Paris. cons. 11. in princ. vol. 1.* stat enim huiusmodi concessio sub regula, per quam Princeps absque alia caussa reuocare priuilegiũ subdito concessum valet: nam aut secundum opinionem Baldi, & Nicolai de Matarellis priuilegium continere caussam onerosam haud dicetur, quotiescunque quod datur à subdito gratiæ, & priuilegio non est adæquatum; aut secundum *Paul. Castren.* nunquam subditus posśit prætendere caussam onerosam per *d. l. Titius puerum* in vtroque casu priuilegium sortiri naturam simplicis gratiæ, & per consequens ad nutum Principis reuocabile fatendum erit. Hos allegat *Roland. à Vall. cons.* 13 *num.* 13. in motiuis contrarijs, & licèt ipse in illa consultatione contrarium tenuerit, nihilominus quoad hanc considerationem nu. 64. nil aliud respondet, quàm quod in casu suo pecunia data àb illa Vniuersitate proportionem ad gratiam concessam habebat; hinc pro nobis allegari posse Rolandum arbitramur, cum in casu contrario versemur. Hoc stante, nil aliud per Illustrisśimum, & Excellentisśimum Proregem fuit indagandum, nisi certum se reddere suam Catholicam Maiestatem fuisse enormisśimè deceptam in illa conuentione, qua de medio sublata, Vectigal loco binarum gabellarum remissarum, & abolitarum prætextu oblationis aureorum 500000. posse indici. Hac via omnia considerata per Bolognett. d. cons. 1. penitus cessare videntur:

nam

nam posito, quod illæ duæ gabellæ pleno iure acquisitæ suæ Catholicæ Maiestati dicerentur, abolitæ verò vigore contractus irriti, & reuocati ob enormissimam læsionem, gabellæ surgunt de nouo; hoc enim operatur nullitas, vt quisque ex contrahentibus cum re sua remaneat. Et iam cognoscimus à nobis dicta, atque discussa de iustitia Vectigalis potuisse omitti; disputauimus de necessitate immensa, de potestate Principis, de clausulis priuilegijs non appositis, & de alijs vltra id, quod opus fuerat; nam reuocatà conuentione, sua Catholica Maiestas duas gabellas abolitas, & extintas recuperaret iuxtà votum totius Regni in comitijs generalibus congregati. Nec de Bolognetto cons. 1. esset curandum per ea, quæ in superioribus adduximus; sed nè in hoc sub silentio transeamus, aliquibus fundamentis occurrendum esse arbitramur.

Fundamenta Bolognetti d. cons. 1. præcipua hæc sunt. Primum sub num. 8. Vectigalia noua absque vrgenti necessitate imponi minimè posse, probare contendit, allegat multa iura, & authoritates; etsi ipse loqui in Principe recognoscente superiorem fateatur, nihilominus procedere in absoluto Principe, ex identitate rationis profitetur.

Huic argumentationi facilis est responsio; nam in superioribus solius Principis esse indicere Vectigalia subditis demonstrauimus. Rursus, & in præsenti casu adesse requisita necessaria, quibus mediantibus potest Princeps id assequi, patefecimus.

Indè

Indè Bolognett. vsque ad nu. 20. intentionem suam super Capitulis Regni disponentibus, non posse Vectigalia imponi in Regno, nisi illis quatuor casibus, fundat, atque in vim contractus transiuisse contendit; Hæc obiectio tunc temporis nullum robur obtinebat, cum ex consensu totius Regni congregati in Comitijs generalibus fuerint indictæ gabellæ, nec ad rem nostram modò facit hæc disputatio, cum Ciuitas Messanæ ex dispositione Capitulorum Regni caussam suam non instruat.

Inferius Bolognett. sub num. 22. demonstrare Ciuitati Messanæ non potuisse præiudicium inferri ex consensu, & determinatione totius Regni nititur. Primo asserit hoc de iure communi, & nescimus, quid de duobus imperfectis simul iunctis, quod non posśint constituere totum, comminiscatur, separat suum totū in duas partes, in consensum Proregis scilicet, & in voluntatem totius Regni. Hanc obiectionem nos præoccupauimus in superioribus; nàm de iure tùm Cæsarij, tùm Pontificij maiorem partem præiudicare minori probauimus, atque in illo parlamento vnanimiter conuenisse omnes, excepta Ciuitate Messanæ, quæ tantum vnàm vocem constituit, compertum extat: nec Prorex est pars Regni, nec aliquid tale de iure communi, aut de iure Regni probari potest; Vniuersitas enim totius Regni in illis tribus ordinibus, scilicet Militari, Ecclesiastico, & Demaniali consistit, in quibus nullo pacto Prorex, nec alius, qui suam Maiestatem repræsentat, obtinet

tinet locum: tantum Prorex conuocat, indicit, & designat locum, & tempus Comitijs omnibusq. congregatis, ea, quæ obsequium suæ Catholicæ Maiestatis, & beneficium vniuersale Regni concernunt, proponit: consultantur posteà proposita, & per suffragia Vocum trium brachiorum decernuntur; hinc satis impertinens consideratio Bolognetti de partibus imperfectis, non valentibus constituere vnum totum, apparet. Aliquando tamen in dubium versum vidimus, num maior pars cuiuslibet brachij deberet concurrere, in quo possent a Bolognetto considerata locum sortiri, si in vno brachio maior pars Vocum non adesset: at quia in casu nostro omnes vnanimiter circà impositionem gabellarum se gesserunt, opus non est ad hanc disputationem ingredi.

Vlterius Bolognett. num. 33. vsque ad nu. 67. veritatem Priuilegiorum prosequitur, atque in multis dilatat fimbrias, quibus factum satis credimus in superioribus, & consulto multa prætermittimus, cum pondus in hoc totius disputationis non consistat.

Sub nu. 68. agit de clausulis in priuilegijs non appositis, quas nos necessariò esse ponendas contendimus: sed quia inter alia Bolognett. dispositionem *l. vacuatis C. de decur. lib.* 10. *& l. in fraudem C. de ann. & trib.* procedere tantum in rescriptis, non autem in priuilegijs arbitratur. Ideò animaduertere operæ pretium esse duximus, in hoc verum haud dixisse. Nam vltrà ea, quæ in hoc articulo deduximus, Doctores nempe de priuilegijs immunitatum loqui in

O dictis

dictis iuribus, quæ in rescriptis procedere credit Bolognettus, clarissime exprimitur, quod ipse obtenebrare intendit: de priuilegijs namque *loqui l. vacuatis dixit Alex. ad Bart.* inquit enim ipse, *hac lex allegatur, quod priuilegia debent intelligi sine damno aliorum, & concordare l. 2. §. si quis à Principe ff. ne quid in loc. pub. & omnes supra de ann. & tribut.* ex quo nullam esse differentiam inter rescriptum, & priuilegium, & in hac materia rescriptum, & priuilegium indifferenter vsurpari edocemur. *Ioann. de Plat. in d. l. vacuatis ait, Imperator per hanc legem reuocat omnia priuilegia super immunitatibus hactenus concessa; Et sub num. 11. dicit, debet ergò rescriptum, siue Priuilegium immunitatis, vt ab omnibus liberet muneribus &c. Bald. in d. l.* eam de concessione, quæ fit iure speciali certæ personæ, habere affirmat: idem est, ac si dixisset de priuilegio; nam priuilegium dicitur lex ad priuatos homines, singulosq. pertinens, vocaturq. priuilegium, ius singulare, constitutio personalis, rescriptum, beneficium, diploma, auxilium, fauor, gratia. *Azor. lib. 5. tit. de priuil. cap. 22. Instit. moral. Luc. de Penna in d. l. vacuatis,* in principio exponit verba tèxtus (*rescriptis*) *priuilegijs, & Iacob. Rebuff. in d. l. vacuatis* refert Dynum summantem illam legem, & dicentem *si alicui concedatur priuilegium, quod excusetur à muneribus ciuilibus, priuilegio non obstante, soluere cogitur munera indicta ob necessitatem publicam,* & passim in sexcentis locis in ista materia immunitatis æquiparata videntur hæc duo, Priuilegium nimirum, & Rescriptum; & iurè, ac meritò, cum nulla diuersitatis ratio considerari possit.

Sub

Sub num. 77. Bolognett. ſuper confirmatione Priuilegiorum facta à Catholica Maieſtate Regis Philippi Secundi inſtat. Sed quia in præſenti caſu Catholica Maieſtas Domini Noſtri Priuilegiũ haud confirmauit, non eſt in hoc vis aliqua facienda.

Sub num. 95. ad reſponſionem obiecti, Fiſci munus illud fuiſſe voluntarie à Regno indictum, & impoſitum dicentis neruos intendit. Sed his ſatisfacere non eſt opus; nàm ſiue voluntarium, ſiue neceſſarium dici potuiſſet, arbitramur in vtroque modo ius bonum fouiſſe Fiſcum, cum propter vtilitatem publicam gabellæ indictæ fuerint, cui priuilegia vnius Ciuitatis nocere non valent, vt ſupra firmauimus.

A num. 102. vſque ad num. 144 de cauſſa neceſsitatis habet, primo fundamenta Fiſci enuntiat, poſteà ex forma priuilegiorum, etiam in caſu neceſsitatis non poſſe indici Vectigalia in præiudicium Ciuitatis Meſſanæ profitetur, atque iterum inculcat priuilegia; & nu. 136. caſum neceſsitatis compreſenſum in priuilegijs, cum fuerit cogitatum, & potuerit de bello cogitari, arbitratur. Et nu. 137. dicit neceſsitatem prætenſam à Fiſco non eſſe talem, cui aliundè ſuccurri non valuiſſet. Et num. 138. argumentationi à caſu neceſsitatis deſumptæ ſatisfacit, nimirum iura non] loqui de priuilegijs, quæ tranſitum in vim contractus fecere, num. 139. ea procedere in priuilegijs conceſsis de iure communi concedit, ſub num. 141. non militare in priuilegijs geminatis, quod de neceſsitate dicebatur. Quibus omni-

bus sic occurrendum putamus, in præsenti casu, & tunc temporis adfuisse necessitatem vrgentissimam, cui aliter prouideri non poterat, & modò tàm grandẽ, vt maior dici non valeat, atque necessitati omnia subijci, contractus nimirum, priuilegia, ceterasq; dispositiones, vt supra latè probauimus; nam si Rex in casu isto capere bona propria subditorum potest, eo magis posse reuocare priuilegia dicendum est; quæ tandem gratiæ sunt ipsius Principis; hoc argumentum *de Ponte de potestate Proregis tit. 5. num. 35. & seq.* ad rem nostram astruit.

Sub num. 157. obiectum Fisci dicentis nullas concessiones immunitatis defectu potestatis concedentis, quippe qui concedere immunitatem ad diminutionem notabilem sui Imperij non valeat, reassumit. Cui obiecto ipse satisfacit num. 158. repetendo priuilegia. At nos non potestatem, sed voluntatem Principis negamus, vtputà, quia priuilegia casus inopinatos, & necessitatis non comprehendat.

Sub num. 172. cum multis sequentibus de concessione Priuilegiorum ob merita inculcat. Huic obiectioni, iam factum satis extat in superioribus. *num.* 183. & 185. iterum de obligatione Principis, qui contractus obseruare tenetur, repetit. Hoc admittimus, sed cum moderationibus, de quibus supra. *num.* 189. de necessitate comprehensa in priuilegijs discutit. *num.* 195. negat casum præcisæ necessitatis interuenisse Et *num.* 197. suam Catholicam Maiestatem aliundè necessitati prouidere valuisse contendit. Hæ

om-

omnes assertiones habent excusationem in Bolognetto, vt qui necessitates Regni penitus ignorauerat, sed apud nos nullam, quisque in manifestam calumniam incideret, si hanc veritatem negaret, scimus, & simul multa mala, & incommoda ob temporum calamitatem patimur, atque nescimus prorsus, vndè possimus necessitatibus consulere. De necessitate, Principi non esse credendum arbitratur Bolognettus, & licet sine ratione, vt supra ostendimus, tamen in hoc assertio vniuersorum ordinum Regni in nouissimis Comitijs adest.

Demùm ad Consilium Bolognetti vnico possemus verbo respondere, illa nimirum omnia penitus cessare, cum, vt supra tetigimus, ex forma eiusdem priuilegij Ciuitatis Messanæ pleno iure gabellæ suæ Catholicæ Maiestati acquisitæ fuerint.

Ex octo supra positis fundamentis, tùm Vectigalis impositionem iustam reddi compertum fuisse satis credimus, tùm responsiones ad argumenta Messanensium astrui posse arbitramur: In primo etenim obligationem penès subditos munera patrimonialia subeundi comprobauimus, propterea ab illis excusationem prætextu immunitatis priuilegij non admitti tetigimus, & vt quæ ibi dicta fuere disputationi nostræ conferrent, Vectigal esse munus patrimoniale, & ordinarium præmisimus, hoc quidem consilio, vt indè non omne priuilegium illius vacationem operari, nisi clausulis, & alijs requisitis munitum, sequeretur. Hinc secundò adduximus, tria in con-

cessione

cesſione immunitatis concurrere debere, nimirum Supremi Principis authoritatem, iuſtam cauſſam, & tempus præfinitum, vt exinde priuilegia Meſſanenſes haud iuuare induceretur, cum nec iuſtam cauſſam contineant, & in perpetuum fuiſſe conceſſa contendatur, quod fundamentum ad priuilegiorum confictionem referri volumus, cum datis pro commentitijs cauſsis, de quibus Meſſanenſes in priuilegijs Romanorum Arcadij, & Rogerij habent, concluſio ſponte ſua excitetur, eorum priuilegia nimirum cauſſa iuſta carere. Tertiò præmiſimus immunitatem non cenſeri à muneribus patrimonialibus conceſſam, idq. vndecim præſertim rationibus demonſtrauimus, quod vt liquidò pateret, multa requiri, & maximè clauſulam illam, non obſtante l. vacuatis, & alijs iuribus in contrarium facientibus in immunitatis conceſsione, quibus penitus Meſſanenſium priuilegia deſtituuntur, oſtendimus, & vt magis rem claram redderemus. In quarto fundamento tempore neceſsitatis omnia priuilegia quibuſcunque clauſulis, verborumq. geminationibus roborata, penitus tacere arbitrati fuimus, haud equidem, quia clauſulas huiuſmodi priuilegia Meſſanenſium non continerent, ſed tantùm vt à fortiori argumentatione rem deduceremus, atque vt magis rotando ius ſuæ Maieſtatis inſtar niuis faſciculi grandeſceret. In quinto poſuimus fundamento omninò priuilegia iniqua reuocanda eſſe, vt talia Meſſanenſium eſſe iudicarentur, ſi illius immunitas in præiudicium totius

Regni

Regni obſeruaretur, atque ad euitandos ſcrupos, in ſexto fundamento, Principem non poſſe regalia iura in alium transferre. Et in ſeptimo limitationes ad regulam, non poſſe ſcilicet Principem reuocare contractus adduximus. Et demùm vt omnibus alijs ſatiſfieret argumentationibus, Doctores de reuocatione immunitatis tractantes, de priuilegijs, quæ tranſitum in contractum fecere, loqui comprobauimus, indè confutationem priuilegiorum ab hiſtoricis monumentis deſumpſimus, & demùm ad nullitatem conuentionis deſcendimus, vt ex his omnibus de iuſtitia Vectigalis indicti, quantum in nobis fuit, liqueret. Omnia ſuæ Catholicæ Maieſtatis obſequijs contulimus, ac conſecratum iri concupiuimus: hoc pro certo ſcimus, quemadmodum haud ignoramus, eruditiorem rem ipſam expoſtulaſſe propugnatorem, alij propterea quæ deſunt nobis, conferant, temporis breuitati indultum iri ſperamus, cum nonus dies abſoluerit, quod nonum in annum premi membranis intus poſitis delere non licuit.








BIBLIOTECA